

430,6.

X1860/137

II c
1092

AREOPAGUS,

id est,

Vetustissimum A-

thenarum & totius Græciæ
tribunal,

EX ULTIMA ANTIQVITATE


erutum

STVDIÔ ET OPERA

M. JOHANNIS SCHEDII,

TORGENSIS,

V. D. Ministri in Stariz.



WITTENBERGÆ,

Typis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.

ANNO M. DC. LXXVII. +



35



A REOP P A G L S

W A S T I S I T A M A

R I C H A R D S & C O M P S G R A S S E
L O N D O N

M A G I S T R I S C H R I S T I A N

T O R O N T O

1 8 4 0

1 8 4 0

1 8 4 0

1 8 4 0

1 8 4 0

1 8 4 0

L

Se

D

D

D

J



SUPREMI SENATUS ECCLESIASTICI ELECTORALIS
SAXONICI,

PRÆSIDI ILLUSTRISSIMO,

DOMINO

DN. CAROLO, LIB. BAR.
A FRISEN,

Dynastæ in Rothau, Cotta & Gaschvitz, &c. &c.
Sereniss. & Potentiss. ELECTORIS SAX. Consiliario sanctiori,
& Comiti excelsissimè de patria merito,

CONSILIARIIS

*Magnificis, Summè Reverendis, Prænobilissimis,
Consultissimis, auctoritate, meritis, prudentia maximis,*

DNO. MARTINO GEIERO,

Potentissimo ELECTORI SAX. à Consiliis Eccle-
siasticis, confessionibus sacris & concionibus aulicis primariis,
Theologo summo & de universa Ecclesia meri-
tissimo,

DNO. CHRISTOPHORO BULÆO,

Doct. Theologo celeberrimo, Ecclesiæ Dresdensi Pa-
stori & Superintendenti longè meritissimo,

DN. ADAM CHRISTOPHORO JACOBI,

Jcto celeberrimo, supremi Senatus Eccles. & Judici
Appellationum Consiliario splendidissimo,

DOMINO MEO GRATIOSISSIMO,

DOMINIS MEIS & PATRONIS SUMMIS OPTIMIS.



ILLUSTRISSIME BARO,

SUMMI PATRONI.

PLenum est audaciæ o-
pus, quod molior, quan-
do jamdudum hoc mihi
faciendum putavi, ut
quod de Areopago, summo apud
Græcos tribunali, meditatus fue-
ram, id vestris tandem auspiciis in
lucem emitteretur. Etenim illuc
me nulla alia, quàm pietatis meæ
Vobis testificandæ ratio induxit, eò
quòd sciam, obsequia quoque à vo-
bis æstimari. Etsi ergo neque eru-
ditionis copia, neque ingenii uber-
tate

tate ullo modo vestrae expectationi
respondere possum, tamen spero fo-
re, ut humilissimi clientis in meritorum
Vestrorum admiratione defixi stu-
dium conatusque duntaxat Vobis
probetur. Nam sanctissimus ille
confessus Vester summæ mansuetu-
dinis patrociniique gloriam proprio
quodam jure sibi conservat, & cum-
primis sacrum ordinem consiliis ma-
ximè felicibus & salutaribus ornat
ac tuetur. Itaque cæpi cogitare,
quemadmodum pietatis negotium
conficerem, & succisivis horis ali-
quid elucubrarem, quod vobis con-
secrari par esset. Eo consilio A-
reopagum velut relictum à curis mei
muneris partem seposui, in qua ela-
borarem, & præstantissimi Græco-
rum judicii originem antiquitatesq;
AM3 juncun-

jucundissimas perscrutarer. Quas
Illustrissimis & splendidissimis No-
minibus vestris eò minus credo esse
displicituras, quia cum sempiterna
pietate & studio pro vobis, pro
gloria laborum, pro fructu merito-
rum vestrorum, pro æternitate Fa-
miliarum vestrarum deprecandi sunt
conjunctæ. Ita vos DEUS Ecclesiæ
& reipublicæ, & mihi etiam Vestro
præsidio maximè egenti quàm diu-
tissimè fervet. Dab. Staritzii Eid.
Maj. A. c. l. o. l. o. c. LXXVII.

*V. V. V. V. Illustrissimæ Excellentie,
Summè Reverend. & prænobilissim.
Magnificentiar.*

*Humilimus, piissimusque & obsequiosissimus
Cliens*

M. JOHANNES SCHEDIUS.

Ad

Reverendum doctissimumq;

VIRUM

D. N. M. JOHANNEM SCHEDIUM,

Sacerdotem Staritzensem

piè fideliterq; merentem.

CONRADUS SAMUEL SCHURZFLEISCHUS.

BEne ac sapienter apud Græcos constitutum
erat, ut cognitio rerum capitalium & maximè ar-
duarum non uni, nec duobus duntaxat aut tribus in re-
publica viris, sed multò pluribus, iisque usu & pruden-
tia, & vitæ etiam gravitate insignioribus permitteretur.
Cujus judicii cum maxima semper esset auctoritas, tum
prima ejus vestigia in monumentis Solone antiquiori-
bus expressa luculenter satis reperiamus. Nomen ei
fuit Areopago, cujus originem, incrementa exitumque,
antiquitates item & ritus atque formulas tu unus nobis
post *Petitum, Meursium & Emmium*, satis quidem pulchrè
copioseque disseruisti, & rectè insuper ac solidè evicisti,
ejus non conditorem, sed instauratorem fuisse Solo-
nem, sapientissimum patriæ suæ virum, ac præstantissi-
mum legislatorem. Equidem jam diu ante eum Ho-
merus ejusmodi vocabulis significantibus & nominavit
& descripsit *Γέροντας*, * ut ipsos Areopagitas & nominas-
se & descripsisse mihi videatur. ** Cujus sententiæ aucto-
res habeo antiquissimos, qui Homeri *ἱερόν κύκλον* ***
ipsummet hoc tribunal Athenarum summum sanctis-
simumque, quo neque ullum antiquius, neque il-
lustris

* *Seniores.*

** *ἱλ. 6.*

*** *Sacrum
Circulum.*

Iustrius unquam fuit, graviter & magno consensu reddi-
 derunt. In quibus numerandi sunt eruditi ejus
 Poëtæ interpretes, qui priscos scriptores haud temere
 secuti, sanè confectas atqve explicatas hujus sententiæ
 rationes habuerunt. Pressè hoc, at eleganter Didymus,
 aut quisquis ille est, monuit, dum illum Homeri locum
 enarravit. Τῷ δὲ ἱερῷ κύκλῳ τὸν Ἄρειον πᾶγον ἑρμηνεύει. ****
 Id enim de Agallia Corcyræo tradit disertè & confir-
 mat, cujus apud eum permagnum pondus erat ac mo-
 mentum. Neqve dissentit Eustathius, commentator
 & maximæ auctoritatis, & summæ eruditionis, qui post-
 quam huc se applicavit, idem re & verbis est executus.
 Supervacuum est, videre de aliis, quos tu magno nume-
 ro eam in rem adduxisti, & labore diligentiaq; tua haud
 inani effecisti, ut eo onere nunc quidem carere queam.
 Proinde alia multa, quamlibet nec vulgaria, neq; inju-
 cunda, libens omitto, ***** qui sciã, te & veterum histo-
 ricorum lectione gnaviter adjutum, & Scholiastarum sub-
 sidiis instructum ornatumqve huc accessisse, ut interio-
 resejus antiquitatis partes nec sine laude industriæ, &
 quadam ingenii ubertate explicares. Quamobrem &
 honos tuus, & rei veritas flagitant, ut ex specimine fori
 Attici abs te edito lætum omen capiam, & in argu-
 mento tuo per se luculento, ac rebus verbisque copio-
 so acquiescam, optasse contentus, uti hic labor tibi be-
 ne eveniat, & cumulationis fortunæ accessione quam-
 primùm augeatur. Wittebergæ ex museo festinanter
 Kal. Jun. c13 Ioc LXXVII.

**** Sacro
 circulo Areo-
 pagum inter-
 pretatur.

***** De veteri Francorum jure vid. capitulare Caroli M. l. V.
 c. 156. De Phrasi, αἰτίαν ἀποστολικῆς δικαίως γυμνάσεαι, quæ extat
 in canon. Eccl. Afr. can. 59. ratio explicationis est manifesta, & spectat
 ad forum clericorum, de quo vid. Nov. Justin. CXXIII. cap. 22.
 Concil. Chalcedonense in cod. can. ecclesie universæ can. 187. 188.



In Nomine JESU CHRISTI.

CAPUT I.

*Aeropagi Etymologia. Notatio. Descri-
ptio. Situs. Structura. Quae in Areopago vi-
denda.*

§. I.



Cripturus de Areopago, antiquissimo illo Athenarum & totius Graeciae, divinisq; pariter & humanis judiciis celeberrimo tribunali, pauca quaedam primum de natalibus nominis afferam. Est autem Areopagus, vox, ut facile patet, non Latina, sed e Graecia deducta, eaq; composita. Priorem compositionis partem Ἄρης absolvit; posteriorem Πάγος. Ἄρης Martem, bellorum Deum Ethnicis creditum, denotat, de cujus Etymologia dissentiunt Autores. Sunt enim qui e Graecâ: sunt qui ex Hebraea lingua nomen hoc derivatum velint. E Graeca qui repetunt, varias anxie inquirunt Etymologias: vel enim descendere illud ajunt ἀπὸ τῆς αἰρεῖν, i. e. tollere, ut Ἄρης βροτολοιγός, il. μ. ἀνδροφόνος, il. δ. μισαιφόνος, il. ε. ap. Hom. quod Mars omnia rapiat, prosternat atque diruat, & juxta Sophocleum Philoctetem, nullum virum malum, sed semper bonos tollat: vel ἀπὸ τῆς ῥέειν, i. e. dicere, & Alpha στερητικῶν, ὅτι ἐν πολέμῳ ἢ λόγῳ, ἀλλ' ἔργῳ χρεῖα i. e. quod in bello non verbis, sed rebus opus sit: vel ἀπὸ τῆς ἀρῆν, i. e. masculus sive ἀρραῖος, i. e. virilis, quod viros, non foeminas i. e. generosos, non imbelles

A

castra

castra sequi oporteat: vel tandem ἀπὸ τῆς ἀρχῆς, i. e. diræ, impre-
 cationes, quod bellum omnibus meritò exosum sit & malum,
 maximè detestabile. *Camerar. in ὄπι οἱ Dec 3. cap. 6.* Ex Lingvâ
 sanctâ verò qui rationem Ἀρχαῖς Etymologicam eruere conantur,
 triplicem eam, recensente *Ravanello in Biblioth. fol. 225.* faciunt.
 Vel enim derivant ab ἸΝ, quod Leonem denotat, quia Mars ut
 Leo omnia conculcat. Hinc Leo ferociæ signum. *Hom. Il. σ. ibi-*
dem Joh. Spondan. p. 336. vel ab ἸΝΝ occidit, quia Mars sine dele-
 ctu homines internecioni dat; vel à ἸΝΝ inusitato, quod in Niphal
 fortem esse denotat, quia fortes & magnanimos Martis filios ef-
 fe oportet. Ad alteram Compositionis partem, quam πᾶγϞ
 constituit, quod attinet, duas potissimùm apud Autores depre-
 hendimus deductiones. Qui nostrum πᾶγϞ cum Latinorum
 Pago confundunt, ἀπὸ τῆς πηγῆς, i. e. fons, vel ideò Natales il-
 lius petendos putant, quia pagani ad fontes & ubi vivuli sunt,
 confidere solent, cujus radicem existimant esse πηδάω i. e. spontè
 è terrâ profilio, quasi vocaretur πηδῆ, pro quo mutato δ. in γ.
 πηγῆς, eò quod aqua è terra spontè profiliat: vel Adjectivum
 πηγὸς ἢ, οὐ, niger, quod aqua perpetui & solidi fluxus, in fluxu
 nigra appareat. *Conf. Camm. Etym. Dec. 3. cap. 5. & Dec. 6. cap. 11.*
Francis. Luisinus in Parerg. lib. 1. cap. 15. Wolff. in Not. ad Isoc. fol.
475. Qui verò Πάγον per collem, sive rupem, seu locum editum
 explicant à Perf. Med. πῆπαγα sive πῆπυγα Thematis πῆγυμι, τὸ
 πᾶγϞ descendere contendunt, abjecto Augmento & mutato
Alph. in Os. Walib. in Miscel. Theol. Cent. 1. pag. 615. Pastor in
 voce πῆγυμι It. *Lex. Nom. Prop. pag. 7.* Scapula, cæteriç; omnes,
 qui Πάγον per collem, tumulum seu saxum exponunt.

§. 2. De priorè Compositionis parte res certa est, nec
 quicquam inde nobis scrupuli nascitur, undecunqve derivetur,
 tandem, nisi fortè quis ab Eruditis diu jam explosas τῆς Ἀρχαῖς ex
 Lingva Sancta Etymologias suas faceret: Posterior autem ali-
 quanto plus nobis facescit negotii. Qui ἀπὸ τῆς πηγῆς à fonte
 derivant πᾶγϞ, ut supra dictum, confundunt nostrum Πάγον
 cum Latinorum Pago. Aliud enim est Pagus Latinorum: aliud
 πᾶγϞ Græcorum. Illum describit *Aldus Manutius Epist. Phi-*
lolog. lib. 3. Ep. 7. quod sit regio, nullò mœnium ambitu, accolis
 disper-

dispersis, in plano circa flumina vel fontès, qui ad unum locum
 consilii causa coeunt: Hunc verò *Salmeron* *Comum in Aet. cap.*
XVII. quod sit collis sive rupes, seu emmens aliquis locus, mœ-
 nibus ac turribus valdè munitus. Magis igitur placent illi, qui
 à Perf. Med. πέτρα, Thematis πήγνυμι, τὸ πάγϞ deducen-
 dum esse arbitrantur. Sunt enim montes, rupes, colles, aliaq;
 loca editiora quasi ex multis arenis compacta atqve conglutinata.
 Cui sententiæ videtur haut parùm favere Analogia Prosodica,
 quæ in talibus negotiis ut plurimum potissimas iudicis partes
 solet obrinere. Legitur apud Homerum *Ἰλιάδ. E.* hic versus:

Νηαίρη δ' ἐν γαστρὶ πάγϞ (pro ἐπάγϞ) δολιχόσκιον ἔγχεϞ,
 id est.

Inferiori autem ventre defixa fuit longa hasta.

Ubi τὸ Alpha, ut facile patet, corripit in πάγϞ sive ἐπάγϞ Poeta.
 Igitur ἀναλογικῶς τὸ Alpha in πάγϞ, ut corripatur, necesse
 est. Derivata etenim retinent Quantitatem sui Primitivi seu
 Thematis, audit Regula Grammaticorum. Corripere autem
 Poetas τὸ alpha in πάγον satis nos eorum edocent libri. Sic
 corripit Alpha Homerus *Ὀδυσσ. E.*

Ἄλλ' ἀκτὰὶ προβλήτες ἔσταν, σπλάδες τε, πάγοι τε.

Sed ardua erant promontoria, petrae concavae & colliculi
 summi.

Et Æschylus in Eumenidibus:

Ἐνθεν ἐς' ἐπώνομος
 πέτρα, πάγϞ Ἰ ἌρειϞ. i. e.
 Inde est, quæ vocatur
 Petra, Areopagus.

Et Oraculum Dodonæum apud Pausan. in Achaicis:

Φράζεο δ' Ἄρειός τε πάγϞ, ἑμῆς τε θυώδεις
 Ευμενίδων. i. e.
 Curæ tibi esto Areopagus & aræ suave olentes
 Eumenidum.

A 2

Quod

Quod si ergo ἀπὸ τῆς πηγῆς deduceretur πᾶγϞ, ex indole quo-
que sua produceretur: Alpha enim ex ita profectum semper
longum est.

§. 3. Quemadmodum autem in eruendis τῆς Ἀρειοπαγῆς originibus mirè sese torquent Autores: ita in exprimenda nominis nominis notione æquè non minùs defudant. Averroës, referente *Lorino Comm. in Act. cap. XVII.* deceptus Græcæ Lingvæ ignorantia, *Comm. in lib. 2. Polit. Arist. cap. 1. & 2.* Ἀρειοπαγῶν explicat per domicilium Philosophorum, ita, ut tùm Athenas ipsas, tùm alias quasve Civitates Græcorum, ubi Philosophi habitabant, significet. Johannes Fridericus Herwartus in *Admirandis Theologico-Ethicis cap. 37. apud Dilb. Diff. Philolog. Tomo I. p. 224.* per Areopagum acum nauticam, ad quam omnia Deorum consilia referenda, intelligit. Vatablus Areopagum in *Actis* per viam Martiam exponit, & Johannes Ferus, Franciscanus Monachus *Comm. in Act. cap. XVII.* per vicum mortis. Per Campum Martis interpretatus est Abrahamus Lœscherus, Interpretes Pausaniæ in *Achaicis*. Per villam verò Martis Beda lib. de *Nominibus Locorum in Actis Apostolicis*. Per pagum seu vicum Martis exposuerunt Erasmus, profundum illud eruditionis pelagus, *Cajetanus, Corn. à Lap. Comm. ad Act. Buchn. in Lexico, For. Rom. in hac voce. Alex. ab Alex. l. 3. p. 123. a. Varro ap. August. l. 18. cap. 10. de Civ. Dei. Is. Abrab. Læscherus in Atticis. Heidm. Introd. in Geog. Vet. cap. 9. §. 131. Had. Jun. Animad. lib. 1. cap. 3. & denique eruditissimus Wolffius in Not. ad Isoc. f. 475. & ad Dem. fol. 1220. cum infinitis aliis.* Sed fallunt & falluntur qui jam recensitas Ἀρειοπαγῆς interpretationes fovent. Rectius autem sensisse videntur illi, qui Ἀρειοπαγῶν per Martium collem, rupem seu tumulum interpretati fuerunt, quales sunt *Steph. in Lex. Lorinus, Bulling. Salmer. Oecumenius, Schmid, Beza Comm. in Act. Cap. XVII. Martin. in Lex. It. Pasor. in Lex. Nom. Prop. Walib. d. 1. Kerkerm. Syst. T. 2. p. 1517. Scalig. in Not. ad Euseb. f. 33. Farn. in not. ad Juv. Sat. 9. p. 110. Dinner. Diff. Areop. Meurs. Tr. de Areop. cap. 1. Ludov. Vives ad dictum supra Augustini locum.* His a numero randus *Sedulius Poëta lib. 1. v. 25. & 26.* Areopagum per Athenæum pagum exponens. Quemadmodum enim Romæ Tarpejum saxum:



saxum: ita Athenis Mavortium saxum, inquit Scaliger & Martinius d. l. Facem huic nostræ opinioni præferunt Æschylus in Eumenid. expressè Ἀρειοπάγον πέτραν, i. e. saxum nuncupans, & Eustathius ad versum Homeri Ὀδυσσ. E. modò laudatum, sic commentatus: Ἀκταὶ τῶποι πετρώδεις, πορεύοντες εἰς θάλασσαν εἰσι. σπιλάδες δὲ πέτραι κοῖλαι διεχισμέναι τῇ συνεχεῖ τῶν κυμάτων πλύξει πάγοι δὲ πετρώδεις ἐξεχαί, ἢ εἰς ὑψὺ ἀνέχουσαι ὄξειαι πέτραι, i. e. Ἀκταὶ sunt loca petrosa excurrentia in mare, i. e. promontoria; σπιλάδες petræ concavae, continuâ tempestatum concussione dissectæ; πάγοι verò summitates petrosæ, aut acutæ petræ exsurgentes in summitatem. Item Interpres Euripidis Ἀρειον πάγον per Martium collem vertens. Consule *Lucian. in Bis Accus. p. 688. Aut. Etymol. Mag. It. Suid. in voce Ἀρειοπάγου*.

§. 4. Cognitis Areopagi Natalibus ejusq; exploratâ notatione, deveniendum nunc ad ejus descriptionem. Est autem Areopagus, de quo nobis sermo, non ager ille Thraciæ desertus, cujus Carolus Stephanus in *Onomast. Nom. Propr.* meminuit: nec Civitas quædam Græciæ, uti Ægydus quidam *ap. Lor. d. l.* prodidit: nec ut *Stephanus lib. de Urbibus* tradidit, Promontorium: nec tandem certus quidam Athenarum circulus. Uti enim *Hilduinus lib. 2. de vita Dionysii Areopagita* refert, Athenæ in quinque circulos seu portiones divisæ fuerunt. Primus Circulus Ægæum mare respiciebat, & vocabatur ΚΡΟΝΟΥ Πάγου, Circulus Saturni: Secundus Circulus Thraciam, ubi Terebinthus mons, & vocabatur ΠΑΝΟΣ Πάγου, Circulus Panis. Tertia regio erat circa portum Neptuni, cui nomen erat ΠΟΣΙΔΩΝΟΣ Πάγου, Circulus Neptuni: quarta regio vocabatur ΑΡΕΙΟΣ Πάγου, Martis Circulus, in colle Trithonii montis; & quinta tandem ΕΡΜΟΥ Πάγου, Hermetis sive Mercurii Circulus. Sed novum hoc esse & antea sibi neque lectum neque auditum, scribit *Meurs. l. 1. de Fort. Att. p. 18. 19. Vide Cornel. à Lap. in Not. ad Act. Cap. XVII.* Nec demum uti Caspar Streson asserit *Comm. pract. in Act. Apost. part. 2. pag. 20.* templum Athenis Marti consecratum. Ita enim ejus habent verba: Areopagus apud Athenienses erat & Martis templum & curia justitiæ admi-

nistrandæ destinata. Justitiæ enim ratio apud prudentiores gentes sacro sancta erat, & præcipua pars religionis, ideòq; non mirum, quod in ipso templo administrabatur. Consentit Interpretæ Æthiops apud Walæum in *Not. ad Act. Cap. XVII.* Ἄρειον πάγον per domum Dei sui interpretatus. *Vide Alex. ab Alex. l. 3. c. 3. p. 123. a. Walth. in Miscel. Theol. cent. 1. p. 616.* Forum Rom. in voce. *Faber in Lex. Wolff. in Not. ad Isoc. fol. 475. & Wolffg. Lazius Græ: Flor. l. 2. f. 93.* Sed est Areopagus editus quidam Athenis locus, cui δικάσιον seu curia inædificata erat, cujus iudices Areopagitas nuncupatos fuisse commemorat Svidas in voce Ἄρειοπάγῳ & Cicero passim. Satis igitur congruè Hieronymus in Epist. ad Magnum Oratorem Romanum & Juvenalis Sat. 9. Areopagum Martis Curiam appellant. & *Apulejus lib. X. de As. Aur. Martium*; Tacitus verò *Annal. lib. 2. cap. 55.* Areum iudiciura. *Vide Philip. Berosal. & Godescalcum Stewicbium Comm. in Ap. d. l.* Et propterea laudandi Beza, Vulgatus, Syrusq; atque Arabs Interpretes, qui Ἄρειον πάγον per domum iudicii, quæ vocatur Ἄρειοπάγῳ interpretati sunt. *Vid. Dieu ap. Walæ: in Not. ad Act. Cap. XVII.* Item Lutherus & Piscator interpretantes vocem den Nicht-Platz. Nec non Cicero, qui *lib. 1. Ep. ad Att. Ep. 13.* Ἄρειον πάγον pro Senatu posuit.

§. 5, Primus & quidem medius Urbis Athenarum locus Areopago cecit prope Ἀρεόπολιν, quæ propter præcipitem rupis declivitatem omnium hostium vim eludebat, hominibusq; difficilem sui accessum præbebat. *Herod. l. 9. Οὐδ' ἂν ἤλπισε μήποτε τις κτ' ταῦτα ἀναβαίνειν ἀνθρώπων,* quam rupem nemo hominum sustinebat ascendere. *Stephanus lib. de Urbibus* Areopagum juxta mare collocat, Promontorium quoddam fuisse asserens; Cui adstipulatur *Baronius in Annal. ad Ann. Chr. LII.* ex malè forsitan intellectis Pausaniæ verbis in Atticis: Prope Areopagum navis monstratur in Panathenæorum pompam extracta. Non enim ex his evinci potest, Areopagum Oceanum alluisse, sed navem tantum ad Panathenæorum pompam extractam non adeò ab Areopago fuisse, atque inde monstrari potuisse. *Maximus in Prolog. in Dionys Areop. extra Urbem* fuisse dicit: Ἐξω δὲ τῆς πόλεως ἢ τὸ κτ' Ἄρειοπάγον δικάσιον, i. e. extra Urbem

Urbem erat tribunal Areopagi. Hilduinus verò, ut Meurs. docet
Fra. de Areop. cap. 1. in arce fuisse scribit. It. Keckerm. T. 2. Syst. p.
1498. & Hesychius ap. Wolff. in Notis ad Isoc. l. c. quod nec ipsi adeò
Wolffio ibidem displicere videtur. Verum enim verò egregiè
dormitant, quicunqve Areopagum vel juxta mare; vel extra
Urbem; vel in Arce collocant: neqve enim juxta mare; ne-
qve extra Urbem; neqve in Arce, sed in colle quodam Arci op-
posito inædificatus erat Areopagus. Manifestum hoc fit ex
Herod. lib. 8. ubi dicit, quod Persæ in adverso Arci colle, quem
Areopagum Athenienses vocant, confederint. Atqve hinc pa-
ret, cur Ἄρειον πάγρον Plutarchus in Solone τὴν ἐν ἄνω Ἐξλην
nuncupaverit, nimirum quia in rupe & edito loco situs erat Areo-
pagus. Quare rectè Toffanus Comm. in Acta Cap. XVII. inquit:
Auff Griechisch Ἄρειον πάγρον, war gelegen mitten in der Stadt/
auff einer höhe also genandt von ihren Abgott Ares seu Mars, all-
da der höchste Recht oder Gerichte war/ und nur von schweren und
wichtigen Sachen gehandelt würde. Vid. B. Schmid. Comen. ad
Act. Cap. XVII. & Clariss. Meurs. l. c. Huc Epimenidem Creten-
sem oves nigras candidasq; quibus pestilentia luem Athenis sæ-
vientem, sedaret, attraxisse, iisq; quocunqve ire vellent, permi-
sisse, Autor est Laert. in vita ejus. Ast quod mirandum, abjecto
planè & humili ædificio dicasterium hoc spectandum sese præ-
buit, uti enim Vitruvius l. 2. cap. 1. narrat, Areopagus, antiquita-
tis exemplar, luto reclusus fuit. Vid. Dilb. & Dinner. Diss. Areop.
Verum non sine gravissimis causis factum hoc est. Noluit enim
populus Atheniensis locum judicii sui similem esse Ægyptiorum
templis, quæ extus splendebant; intus verò horribilissimis Dea-
stris referta erant: maluit potius optimos judices, eosdemq;
summâ innocentia, virtute & prudentia præditos, contineri in
ædificio stramineo, quàm tam monstrosos Deos, more Ægyptio-
rum, in auratis templis colere. Theodoretus lib. 3. Græcanicarum
Affectuum.

§. 6. Varia nihilominus in hoc luteo & humili Ἄρειον πά-
γρον ædificio visu atqve notatu digna spectantium oculis sese offe-
rebant. Videre licebat duos lapides argenteos, quorum alteri
Actor, versus sinistram; alteri verò, dextram versus, reus inside-
bat.



bat. Ille λίθος ἄναιδείας lapis injuriæ seu contumeliæ; hic λίθος ἄναιδείας, lapis Impudentiæ cognominabatur. *Pausan. in Att.* Disputat *Hadrianus Junius Animad. lib. 1. cap. 3.* si ne veritati consentanea, quæ in expressis extat codicibus, τῆς ἀναιδείας lectio, nec ne? aut an cadente æqualiter vocis tractu, & Syllabarum numero, sonoq; prope eodem ἄναιτίας, i. e. Innocentiæ, potius legendum sit? Et pro postremâ hâc lectione, tanquam probabiliore militat, ut nimirum opponeretur innocentia rei injuriæ contumeliæq; accusantium. Quid enim, ait, hîc commune habet cum miserorum, qui capite & fortunis oppugnantur, sorte, Impudentia? Quin & ipse Pausanias, pergit, ἄναιτίας lectionem videtur confirmare, quum paulò post subjungit: Ἐνταῦθα θύουσι μὲν ὅσοις ἐν Ἀρείῳ πάγῳ τὴν αἰτίαν ἐξεγένετο ἀπολύσασθαι, i. e. istic sacrificant, quotquot in Areopago cædis absolvi contigerit. Sed nihil immutandum censet *Jacobus Nicolaus Loënsis Epiphillid. lib. 5. cap. 7.* ubi de Cyllonio scelere agit, atque ideò lapides sic appellatos existimat, ut Actor omnem vitaret petulantiam & contumeliam: Reus verò ab omni abstineret furo, quò fontes aliàs scelera sua, præsertim ubi cum imperitioribus iudicibus rem sibi esse vident, expungere solent. *Vid. Dilb. T. 2. d. 1.* Ab his lapidibus argenteis lapidem illum apud Romanos, ad quem Præco pronunciabat ad populum, rerumq; venalium sectio, itemq; distractio & permutatio instituebatur, originem duxisse, Autor est *Job. Baptista Pius Annot. Poster. Cap. 55.* Cuius autem ex argentò potissimùm lapides isti constiterint, non imprudenter conjectasse videtur *Had. Jun. d. 1.* qui propterea factum id existimat, ut admonerentur litigantes in accusando pariter defendendoq; integritatem spectari, nec affectibus quicquam tribui oportere. Ulti enim immune est ab ærugine argentum: ita & partes dissentientes ab omni falsitate liberas esse convenit. Nec prætereundum hoc locò illud est, ἄναιτίας quoque καὶ ἄναιδεία fuisse aras ab Epimenide excitatas; id quod adstruere conantur *Clariss. Meurs. Tr. de Ar. Cap. 2. & Dilb. Diff. Areop. ex Clemente Alexand. in Adm. ad Gentes;* ubi ait: Sicut rectè Priscus quoque Epimenides qui Contumeliæ & Impudentiæ Aras Athenis extruxit. Quibus verò postmodùm Athenienses
super

superstruxisse templum, *Meurs. d. l. ex Cic. lib. 2. de Leg. docet.* Sed recedunt ab hâc opinione Hadr. Junius & Jacob. Nicol. Loënsis dictis locis, quorum Ἰβρωσὶ καὶ Ἀναδείας Βωμῆς seu aras, quarum Zenobius Paræmiographus quidam, *Theophrastus lib. de leg. & ex Clem. Alexand.* Meursius & Dilherrus mentionem fecerunt; Contumeliæq; & Impudentiæ fanum apud Ciceronem, svadente Epimenide exædificatum, convenire cum Romanorum consuetudine asserit, quâ etiam Athenienses vitiis templa, ut Romani Pavori, Febri, Pallori extruxerint; λίσσς verò Pausaniæ ab his prorsus alienos esse: Hic verò Pausaniæ λίσσς, Ciceronis Fana, & Βωμῆς sive Aras Clem. Alex. Zenobii & Theophrasti non distincti quid significare atqve peculiare esse, dici enim à Pausania λίσσς, quæ à Cicerone Fana, & à Clemente Alexandrino, Zenobio & Theophrasto Βωμοὶ appellantur.

§. 7. Non minus ibi notabatur ara Minervæ Avenæ, quam ab Oreste Capitis absoluto constitutam, miseris omnibus, exceptis homicidis ἐν ἀργυρίασιν, asylum præbuisse ferunt, *Paus. in Att. l. c. & Job. Bapt. Pius Annot. Post. cap. 55.* Præterea quoque ibidem cernebatur templum Σεμνῶν Θεῶν seu Ἐρινυῶν, Furiarum, quod ab Epimenide consecratum dicit *Diog. Laert. in vita:* ab Oreste verò Scholiastes Thocydidis. Has, à Minerva mitigatas, ut pro Oreste in Areopago pronunciarent, Orestem Εὐμενίδες, i. e. propitias appellasse, testatur Svidas in voce Εὐμενίδες. In hoc Eumenidum templo sacra faciebant & iudices ipsi & iudicium subituri; hi ut eas sibi propitias redderent: Illi verò, ut si quid lateret, manifestarent. *Demosth. in Mid. f. 621 Ulpian. Rhetor. in Notis ad b. l. f. 672. & 673. It. Wolff. in Notis ad b. l. f. 1219.* Posita etiam ibi erat statua Telluris, quam pro acceptis alimentis Erichthonius erexit, primusq; omnium ibi sacrificando dedicavit. It. statuæ Plutonis & Mercurii, ad quas omnes, in iudicio Areopagitico absoluti, hostias suas immolabant: nec non statua Herois Lyci, Lupi formâ. Hæc primùm in foro sibi proprio viscebatur tantùm: insequenti autem tempore ad cætera quoque tribunalia transibat. Hic litigantes pro causâ obtinendâ vota nuncupabant: qui verò causâ suâ ceciderant, lacrymas effundebant,

B

bant,

bant, sed petulantiores admingebant pedebantq;: quare etiam
tegetibus circumdatam fuisse scribit *Dilber. loco saepius citato.*
Tandem quoque in Areopago fons erat, ubi Mars Halirrothium,
Neptuni filium occiderat. *Paus. in Att.* Intra septum autem mo-
numentum Oedipi *Val. Max. lib. 5. cap. 3. Conf. Lor. Com. ad Acta*
Dilb. & Meurs. l. c.

CAPUT II.

*Areopagi origo quamvis incerta: anti-
quissimum tamen tribunal est. Variæ de Areo-
pago origine opiniones. Fundator Areopagi
non est Solon. De Nominis ratione inter Au-
tores non convenit. Areopagi Encomium.
Areopagus instar oraculi fuit exteris pariter
atque Græcis; Areopagus notatus literâ
Alpha. Areopagi ab aliis tribunalibus diffe-
rentia. Areopagus altera Reipubl. anchora. re-
gnantibus triginta tyrannis triste carnificum
collegium. Finis Areopagi incertus.*

§. I. Quamvis incertam Ἀρειπαγῶν originem Demosthe-
nes, Autor omni exceptione major, in *Arist. f. 735.* profiteatur,
quando scribit: Qui hæc instituta primi sic ordinaverunt, qui-
cunque illi fuerint, sive Heroes, sive Dii, &c. Fuisse tamen tri-
bunal omnium antiquissimum constans Autorum sententia est.
Eusebius & cum eo Heidmannus Epit. Historiæ Univers. Part. p. 37.
Calvis. in Chro. fol. 11. Ubbø Emm: in Canone Chronologico f. 160. &
161. Sig. de Rep. Athen. lib. 1. Cap. 3. Lor. Comm. in Act. Cap. XVII.
*Walch. in Misc. Theol. C. 1. p. 615. Dinner. Dissertat. Areopag. Mi-
cral.*

erel. Syntag. Hist. Polit. lib. 1. Sect. 111. p. 86. Kekkerman. Syst. To. 2. p. 1562. Cornel. à Lap. Comm. ad Act. Cap. XVII. aliiq; tempus instituti Areopagi in regnum Cecropis primi, seu Diphyis ponunt, quem ex Ægypto profectum Athenas à tempore diluvii Ogygis per duo ferè secula desolatas condidisse iterum; & tandem cum Pharaone Rege Ægyptiorum in mari rubro interiisse, perhibet Meursius de Reg. Ath. lib. 1. Cap. 12. Marianus Scotus in Chronico anno Cranai Regis Atheniensium quinto prima Atheniensium fundamenta jacta fuisse ait: Scaliger verò Animadv. ad Euseb. fol. 33. ex Phanodemo apud Athenæum probare satagit, factum hoc demum fuisse regnante Athenis Demophoonte. Vid. Micr. loco cit. Sed recedunt ab his Polydorus Virgilius lib. 2. Cap. 2. pag. 80. Sabellicus Ennead. 2. lib. 5. D. August. de Civ. Dei lib. 18. cap. 10. Budaus in Pandect. f. 94. Postel. de Mag. Ath. cap. 4. p. 59. Philip. Bervald. & Godescal. Stewichius Comm. in Apul. l. X. de As. Aur. qui seducti à Cicerone Solonem sapientissimum illum Atheniensium legislatorem, Areopagi fundatorem agnoscunt. Ita autem ejus verba lib. 1. off. sonant. Quamvis Themistocles jure laudetur, & sit nomen ejus quam Solonis illustrius, citeturq; Salamis clarissimæ testis victoriæ, quæ anteponatur consilio Solonis, ei, quo primùm constituit Areopagitas: non minus præclarum hoc, quam illud judicandum est. Et Lucianus in Anacharside p. 742. ita Solonem loquentem introducit: Et te, O Anacharsi, in præsens Areopagitam constituo, & juxta senatus mei legem ausculta & tacere jube Rhethoricantem. Nec deest, quò sententiam suam pallient, quod nunquam in legibus suis Draco Areopagitarum meminerit, sed saltem Ephetarum, Plut. in Sol. Verùm enim verò vehementer impingunt, quicumque Solonem Areopagi fundatorem constituunt: Areopagum enim Solonis temporibus longè antiquiorem fuisse adstruit Aristoteles Polit. l. 2. cap. 12. ubi Solonem ea, quæ ante ipsum fuerunt, senatum nempe Areopagiticum & magistratum electionem, non sustulisse prodidit. Et Solon ipse huic opinioni contradicit, cum & ipse Areopagitarum mentionem faciat Leg. XII. Axonis XIII. quam his conceptam verbis Plutarchus in vita ejus descripsit: Ἄλιων ὅσοι ἄλιμοι ἦσαν πρὶν ἢ Σόλωνα ἀρξῆαι ἐπιτίμης εἶναι, πλὴν ὅσοι

ἐξ Ἀρείῃ πάγῃ, πλὴν ὅσοι ἐκ τῶν Ἐθετῶν, ἢ ἐκ πευτανείῃ κα-
 τὰδικαθέντες ὑπὸ τῶν βασιλέων ἐπὶ Φόνῳ, ἢ σφαγαῖσιν, ἢ ἐπὶ
 Τυραννίδι ἐφυγον, ὅτι θεισμός ἐφάνει ὅδε, i. e. Infamiâ notati
 quotquot sunt ante Solonis præturam, integræ famæ restituun-
 tur, præterquam ii, qui ab Areopagítico Senatu, vel Ephetis, vel
 in Prytanæo, referente Rege, cædis damnati, aut latrocinii aut
 affectati regni in exilium abierunt, cum hæc lex sit promulgata.
 Quod si igitur ante tempora Solonis Areopagitæ non extitissent,
 fractâ licet autoritate & potentiâ à Dracone valde imminutâ,
 nunquam ipsorum meminisset; sed se potiùs fundatorem glo-
 riatus esset, eadem prorsus notione, quâ se primum Status Popu-
 laris ac Democratici jactavit Auctorem. Causam verò, cur
 Areopagi fundator creditus fuerit Solon, *Sam. Petit. de leg. Att. f.*
243. hanc profert: Ante Draconis tempora seu νομοθεσίῳ, in-
 quit, de cæde judicia reddiderunt Areopagitæ: Draco verò con-
 stitutus Ephetis, Areopagitis omnem derogavit potestatem: nec
 illi, quamdiu Draconis legibus stabat P. republ. de cæde judicia
 reddiderunt. Itaque soli Ephetæ jus dicebant. Sed Solon ve-
 tus jus restituit, & Areopagitas voluit cum Ephetis judicia de
 cæde reddere. Itaque quasi de integro ac omnium primus consti-
 tuisse hunc Areopagitarum senatum Solon videtur. *Vid. Meurs.*
Tr. de Solone pag. 52. It. de Areop. cap. 3. Dilb. d. l. Anton. Thy-
sium in Notis ad Gell. lib. 12. cap. 7. It. in Discurs. de Rep. Athen.

§. 2. Quemadmodum autem certus Areopagi fundator
 dari nequit: Ita quoque, cur Tribunal nostrum Areopagum vo-
 caverint Athenienses, inter Autores non convenit. Scribunt
 Scaliger *Animadvers. ad Euf. l. c. Stephan. & Mart.* in Lexicis
 Areopagum prius Πάγον dictum fuisse, postea verò Ἀρείον Πάγον
 nomine composito. Rationes hujus denominationis varias
 producant Autores, *Pausanias in Atticis, Eurip. in Electra, Calv. in*
Chron. August. de Civ. Dei l. 18. cap. 10. Heidman. Epit. Hist. d. l.
Gyrald. Syntag. X. f. 437. Ubbo Emm. Can. Chron. d. p. Laz. Fl.
Gre. l. 2. f. 93. Aristid. in Panath. Lactantius, Theophylactus, Be-
da, &c. hanc appellationis rationem afferunt. Neptunus,
 cùm inventis satisq; à Minerva oleis, victus esset, cui pro-
 pterea Athenæ sunt consecratæ, ægre id tulit Halircho-
 thius

thius filius, atque propterea iterum oleas excidere coepit. Hoc Mars intuens dolensque operam Deae inanem, in vindictam exarsit, ferroque de manubrio avulso, caput ei amputavit. Neptunus morte filii ad iram excitatus, Martem in iudicium rapuit, & praesentibus duodecim diis patrati homicidii rationem reddere coegit: sed absolutus homicidii Mars, iudicio nomen reliquit Areopagi. Paulò aliter recenset fabulam Isidorus Pelusiota, qui propter insignem vitae morumque sanctitatem Θεοφόρος, i. e. Deum in se gerens appellatus est, vir in profanis scriptoribus quam versatissimus, *lib. 2. Ep. 91. & 92.* Martem enim, ait, in iudicium tractum fuisse à Neptuno, quod Halirrhothium seu Alisotheum, Alcippae filiae suae, quam ex Agraula Cecropis filia susceperat, stuprum inferre conantem, interemisset: Oecumenius verò in *Notis ad Act. c. XVII.* scribit, quod Venerem, Uxorem Vulcani stupravisset, *vide Salm. in Not. ad Act. Cap. XVII.* Svidam in voce *Ἀρειοπάγειος. Nat. Comit. Mythol. libr. 2. pag. 161. VValth. in Misc. Theol. Cent. 1. p. 616. Dilk. diff. Areop. T. 2.* Aliam nominis causam reddiderunt Phavorinus, *Autor Etymol. magni & Eustath. ad Dionys. Alex.* secuti omnes auctoritatem Æschyli in Eumenid. asserentis, Amazones, Martis filias, adversus Theseum odio exarsisse, quod universos Atticæ terræ incolas, per duodecim pagos hinc inde disperlos convocasset, atque in unum, Athenas nimirum, coire iussisset, ideò exercitum ad hunc locum adduxisse, Urbemque recens conditam atque altis turribus munitam obsedisse, & post oblata Marti Holocausta cum Theseo ejusque socio Hercule infeliciter pugnasse, atque hinc factum esse, ut tribunal nostrum Areopagus vocaretur. *Vide Nat. Com. Mythol. l. 7. p. 687. & 741. Sabell. Enn. 1. l. 6. Meurs. Tr. de Antiq. Athen. cap. 6. pag. 37. It. de Areop. cap. 1.* Ita autem Minerva apud Æschylum in Eumenidibus de Origine Areopagi loquitur.

Collem autem Martium hunc Amazonum (quondam)
 sedem

Tentoriaque, quando venerunt Thesei ob ultionem
 Exercitum ducentes, & Urbem recens constitutam
 Hanc, turribus munitam; tunc contra munierunt:

Martiꝫ; sacrificarunt: unde nomen traxit
Petra collisꝫ; Martius.

Sed fabulosa hæc sunt. Verisimilior ea nobis videtur nominis
notatio, quam Demosthenes in *Aristoc. fol. 735. Suid. in voce*
Ἄρειος πύργου, *Ulp. in Mid. fol. 673. Lorin. Bulling. Salmeron.*
B. Schmid. Com. ad Act. cap. XVII. Dilb. T. 1. Diff. Philol. p. 224.
afferunt, vulnera nimirum, cædes & homicidia, in illo iudicio
potissimum disceptata, curiæ nomen dedisse, id factum esse, aut
ex superstitione Ethnicâ, quâ Martem Deum, rebus cruentis præ-
sidem fixerunt; aut ex Astrologicâ ratione, quâ Mars Planeta-
rum omnium truculentissimus existimatur.

§. 3. Hoc tribunal apud omnes omni tempore summâ
semper polluit autoritate. Ideoꝫ; etiam nec Tyrannus; nec po-
puli autoritas; nec paucorum dominatus; nec ulla alia pertur-
batio, quâ res conflictantur humanæ, hoc iudicium de statu per-
sus deiecit. *Demost. in Arist. Aristid. in Panath. Sigon. de Rep. Ath.*
lib. 3. cap. 2. Lorin. Com. ad Act. d. l. It. Baron. ad ann. Chr. 52. f.
404. Hinc tot apud Autores deprehendimus τῶν Ἀρειῶν πύργου En-
comia. Minerva apud Æschyl. in Eumenid. Præsidium religio-
nis & Urbis salutem Areopagum appellat, & alibi: lucris inta-
ctum tribunal, venerandum, iracundum, pro dormientibus vi-
gilans, præsidiumꝫ; terræ. *Valer. Max. lib. 2. cap. 6. sanctissimum*
consilium, & lib. 5. cap. 5. divini atque humani certaminis vene-
rabile domicilium nuncupat: Seneca verò de Tranq. cap. 3. judi-
cium religiosissimum. A Demosthene in Arist. fol. 735. audit ἰθαίτα-
τον πάντων καὶ σεμνότετον δικαστήριον, i. e. nobilissimum & iustis-
simum tribunal: ab Aristide verò in Panath. δικαστήριον ἐν τιμώτα-
τον καὶ ἀγιώτατον, honoratissimum & sanctissimum tribunal,
quod omnem laudem superaverit, paremꝫ; vim ad iustitiam co-
gnoscendam habuerit ut oracula, quæ fundebantur ad prædictio-
nem futurorum. Ab hujus Senatus excellentiâ & autoritate
Senatorem Romanum Cicero Areopagitam dixit: curiam verò
Romanam Ἄρειον πύργον *Lib. 1. Epist. ad Att. Ep. 13.* & Lycurgus
Legislator Spartanum senatum juxta normam Ariopagi instituit,
ut refert Isoc: in Panath. Idem etiam in Oration. Areop. curiam
Areopagiticam tanquam optimam & præstantissimam civibus
com-

commendat, svadetq; eis, ut omnes curias atqve adeò totam Rempubl. Areopago quàm simillimam constituent. Igitur exteris pariter atqve Græcis instar oraculi Delphici fuit Ἄγος Πάγος, ad quem mittebant, qui consulerent in rebus dubiis. *Luc. in Bis Arc. p. 673.* Ecce exteris quoque jam & peregrinas Athenis in Areopago sortiamur, quas rectius fuerat ultra Euphratem disceptatas fuisse. Et Dolabella, Asiæ Pro Consul, referentibus *Val. Max. lib. 8. cap. 1. Gell. lib. XII. cap. 7. & Marcellino libr. 12.* mulierem veneficii ream Athenas misit, ut de eâ Areopagita cognoscerent.

§. 4. Triplicem hujus senatus à Concione seu Quingentorum senatu differentiam observavit Libanius, Argumentator Demosthenis, *Argum. in Orat. Androt. fol. 698. & ex eo Bud. in Not. ad Pand. fol. 93. Petrus Gregorius de Rep. lib. 4. cap. 5. num. 42. It. Josephus Scaliger de Emend. Temp. lib. 2. fol. 61. & 62.* aliiq; Primò dicit Quingentos Civilia tractasse atqve publica, Areopagitas verò criminalia tantùm: ob publicam tamen necessitatem cum Quingentis quandoq; in medium consuluisse. Sed errare hîc non leviter Libanium & ejus asseclas ex iis, quæ *cap. 4. §. 1. & 2.* à nobis dicentur, constabit. Deinde dicit Quingentorum certum fuisse numerum: Areopagitas verò certò numero definiri non potuisse. Tandem addit Quingentos annuos fuisse: & quotannis novos datos successores: Areopagitarum verò imperinm durasse perpetuò; nec ullum temere, nisi patratò grandi scelere, senatu hòc ejectum. His recensitis superaddit Petrus Gregorius de Rep. d. l. etiam quartam differentiam, ubi ait, quòd Quingenti in Prytanea divisi fuerint, ne Tyrannidem quis invadere posset; & quòd nemini Epistatæ bis esse licuerit: Areopagita verò quod eandem semper ordinis dignitatem servaverint, & quasi indivisibiles manserint. Obiter notanda est & quinta differentia, quâ ab aliis tribunalibus περὶ τῶν πρᾶγματῶν Φονικῶν judicium hoc separabatur. Differebat autem ab illis Areopagus, quod in hoc homicidia voluntaria disceptarentur; in aliis verò tribunalibus περὶ τῶν πρᾶγματῶν Φονικῶν cædes ex improvise patratæ, seq; defendendi causa susceptæ. Sed tandem obsolevisse hoc, ut & alio scribit *Stephanus de Jurisd. l. 2. cap. 7.*

cap. 7. quum in sequentibus temporibus omnis imperii & jurisdictionis autoritas in causis $\omega\epsilon\iota$ τῶ Φόνυ ad Areopagum translata fuerit. *Vide Post. de Mag. Ath. per integrum caput X XV. Voss. Inst. Orat. T. 1. p. 114. Æl. l. 5. cap. 15. Demosth. in Arist. Paus. in Att. It. Suid. in voce Ἐφέτας. VVolf. Laz. in Græ: Flor. l. 2. fol. 93.* Atque ut eò facilius à cæteris tribunalibus tribunal Areopagiticum dignosci posset, literâ Alpha in superiore ostii parte notatum fuisse, *Dilh. Diss. Philol. 1. 2. & Meurs. de Areop. cap. XI.* indubitanter colligunt ex Scholiaste Aristophanis, qui singulis tribunalibus unam harum literarum $\alpha. \beta. \gamma. \delta. \epsilon. \zeta. \eta. \theta. \iota. \kappa.$ in fronte ostii inscriptam assignat, quando scribit: $\Delta\epsilon\kappa\alpha$ γὰρ ἦν τὰ δικαστήρια ἐν Ἀθήναις καὶ περὶ θυρῶν δὲ ἐκάστη δικαστήριον ἐγγράφον τὸ πρῶτον βᾶμμα τὸ σοιχεῖον, ὡς ἔστι τὸ δικαστήριον ὠνομάζετο, id est, decem erant Athenis tribunalia, & supra januam uniuscujusq; litera (Alphabeti) colore rubro scribebatur, quâ dicasterium nominabatur. *Conf. Petit. de Leg. Att. fol. 217.*

§. 5. Sed quis illud tempus, quò diem suum obierit Areopagus, hariolari potest? Quemadmodum enim incunabula Areopagi, ut supradictum, incerta sunt: sic quoque ultima e. jusdem haut sanè magis patent. *Meurs. Tr. de Areop. cap. 3.* conjecturam facit ex *Athen. l. V.* Romanos redactâ Urbe in potestatem, Areopagum sustulisse. Sed contradicit hujus celeberrimi viri conjecturæ potissimum Cicero, qui Areopagitici senatus adhuc suo tempore florentis, sæpissime meminit. Et imperante Claudio Imperatore durasse Areopagum, ex eo liquet, quod Paulum, qui sub illius Imperio Evangelium prædicavit, eò traxerint Athenienses, ut rationem redderet, cur contra leges Patrias JESUM & Resurrectionem mortuorum, tanquam novos Deos prædicaret. *Act. Cap. XVII.* Existimat equidem dictus Meursius revixisse demum Areopagum apud Romanos: ultimum verò ferale ipsi cantatum ab Imperatore Vespasiano, qui totâ Achajâ in provinciam redactâ, leges Romanorum recipere, & tributum dare jusfit. Sed dissentit ab hujus Clarissimi Viri opinione *Ulbo Emmius de Rep. Att. pag. 434.* qui expressè ibi affirmat, ipsum Galienum Imperatorem Romanorum XXXIV. Valeriani Imperatoris filium, Athenis in Areopago sedisse, & cum
 reli-

reliquis senatoribus jus dixisse. Quare omnium optimè vide-
tur rem exponere Theodoretus *de Evang. Verit. lib. 11.* apud Baro-
nium loco citato, quando scribit, quòd illucescente Orbi terra-
rum Christianâ religione, ut cætera, ita quoque Areopagus ces-
saverit, verùm non statim, sed successu temporis & pede-
tentim.

CAPUT III.

Senatores Areopagitici erant 1. εὐπατρίδαι.
2. Novem viri; Novem virorum διοικήσασια. Hi
post exactum Novemviratus annum, si legibus
ubiq; satis fecissent, Areopagite creabantur.
Areopagite tandem sortitò dabantur. Areo-
pagite certò numerò definiri non possunt. Non
solum Græci Areopagite fiebant, sed exteri quo-
que & Romani. Areopagite sancti erant &
innocentes. Maxima item pollebant autori-
tate. Areopagite à comediis scribendis spectan-
disq; abstinebant. Areopagite logistis ratio-
nem reddebant administratæ justitiæ & Reip.
Areopagite desciverunt à pristina legum obser-
vantia, ideò ludibrio aliis exponebantur. Eo-
rum quedam judicia improbantur.

§. 1. Curiales, qui in Areopago sedebant, ante Solonis
tempora εὐπατρίδαι seu αὐτόχθονες i. e. Patricii erant, non sa-
cerdotes, ubi summus sacerdos sententias rogaverit, suffragiaq;
colle-

C

collegerit, uti ex Josepho falsò colligit Cæsar Baronius in *Annal.*
fol. 405. voluerunt enim semper legislatores ad evitandam δωρο-
δοκίαν tuendamq; autoritatem ex nobilissimis præstantissimisq;
viris magistratus constare. Hinc Isocrates inquit *Orat. Areop.*
nemo admittebatur ad hoc consilium nisi ὁ καλῶς γεγονώς καὶ
πολλὴν ἀρετὴν καὶ σωφροσύνην ἐν τῷ βίῳ ἐδειγμένῳ, i. e. qv̄i
honesto loco natus egregia virtutis & modestiæ specimina edi-
dit. Posteaquam verò Solon legibus suis Rempubl. temperare
cæperat, & Ephetas, qv̄i Draconi natales suos debebant, cum A-
reopagitis conjungere constituerat, solos θεσμοθέτας sive ἑννέα
ἄρχοντας, i. e. Novemviros, post exactum Novemviratùs an-
num, Areopagum adscendere jusfit. Quare etiam Solonem i-
plum Areopagitam fuisse scribunt, qv̄òδ ἄρχων ἐπιώνομος fuerit.
Ex quo apparet illos vehementer errare, qv̄i excluso Archonte
Rege & Polemarcho, reliquos tantùm sex Thesmothetas inter
Areopagitas cooptatos fuisse, statuunt. *Vid. Sig. de Rep. Ath. l. 2.*
cap. 5. Erant autem Novemviri ex Solonis legibus *Ευπατρίδαι*,
neqve ullus præterea alius, etiamsi propter præclara in Rempub.
merita summò semper in honore habitus fuisset, ad honorem
Novemviratus accedere aut adspirare poterat; nec liberi ejus,
quamvis & ipsi multis modis de Rempub. optimè meriti essent,
inter Novemviros allegebantur. Sed Athenienses ob victoriam
à Persis navali prælio deportatam, altos spiritus gerentes ab hâc
Soloneâ constitutione prorsus desciscabant facto psephismate:
Omnium ordinum Atheniensibus senatum magistratumve adire
licitum esse, hâc ramen cum cautione, ut sint sanguine, i. e. Paren-
tibus, avis, atavisq; Athenienses. Insecutis postea temporibus,
qv̄um adscriptitii & civitate donati, pro sui census ratione, qv̄em
Reipubl. pendebant, civibus genuinis quoqve annumerarentur,
factum est, ut liberi eorum, à matre sive cive sive peregrina nati,
in Novemvirorum ordinem æqve annumerarentur. *Demosth. in*
Near. f. 876. & 878 Omnes autem & Cives & peregrinos, ante-
quam Novemviri creabantur, sacris Eleusiniis initiari oportebat.
Meurs. Tr. de Eleuf. Ubbo Emm. de Rep. Ath. p. 434. Atqve ut ho-
rum splendori nihil decederet, triginta ad minimum annorum
esse debebant, quæ ætas SENATORIA vocabatur; præterea
etiam

etiam nati ex legitimo matrimonio. Difficile enim est, turpitudinem à Nativitate contractam radicitus evellere, morumq; integritate & sanctimoniâ emendare.

§. 2. Hi *Ευνεα Ἄρχοντες*, anteqvam in eam functionem confirmabantur, uti Petitus vult *de Reg. Att. fol. 241.* duas vitæ *δοκιμασίας*, unam ap. Quingentorum senatum; apud Judices Heliastas alteram subibant: secundum Postellum verò *de Rep. Ath. cap. 19. pag. 165.* unam tantum apud Areopagitas, & quidem in Regia Porticu. Quærebatur autem exiis, an matre & patre Athenienses essent, talesq; ab avis, abavis, atavisq; agnoscerentur? An *Ζηνὸς Ἐρκείη καὶ Ἀπόλλωνος πατρῶς*, i.e. Jovis tutelaris & Apollinis Aviti, aut an peregrinorum Deorum cultores essent? an parentes honoravissent, & pro amore filiali beneficia in ipsos contulissent? an corpus prostituissent, in fornicibusq; vixissent? an pro patria pro aris & focis arma sumissent, & an aliâ aliquâ turpitudine insuper vitam commaculassent? Nullius sceleris convicti, præstito prius juramento, se perpetuò leges observaturos, nec auream statuam postulaturos, nec *δωροδοκίαν* sectaturos, admittebantur. Dein admissi in hanc curiam æqvè ab omnibus abstinebant sceleribus, imprimis verò *Ἄρχων Ἐπώνυμος* ab Ebrietate, qui talis deprehensus, capite plectebatur. Elapso magistratus anno, cum ad Areopagiticum senatum transire deberent, iterum Logistis seu rationum magistris administrationis suæ rationem intra triginta dies reddebant: quærebatur autem exeis, legesne observassent, vitamq; hæctenus immaculatam egissent, suoq; satis ubiq; officio fecissent: undiquaque probi inventi innocentesq; adscribebantur senatui Areopagitico. *Conf. Pet. loco supra citato. Meurs. Tr. de Areop. cap. 5. Lor. Com. in Acta cap. XVII. Bar. ad An. 52. Demosth. in Near. f. 829. Kek. Tom. 2. Syst. pag. 1517.* Secus autem si fecissent, legumq; gubernationem neglexissent, consortiò Areopagiticò arcebantur. Patet hoc ex Psephismate quodam, quod Andocides nobis descripsit: Deferantur apud Thesmothetas: Thesmothetæ verò rapiant eos in iudicium, aut non ascendant Areopagum. Idem etiam asserunt *Demosth. in or. Tim. f. 776. & Postel. de Rep. Ath. cap. 11. pag. 117.* aliiq;. Obtinuit equidem hæc apud Athenienses consuetudo, quam-

quamdiu Solonis legibus stabat Respubl. Quando verò Solonea hæc constitutio senio quasi emoriebatur, legesq; ejus evilescerant, & promiscuè omnes in hunc senatum allectos scribit *Lucianus in Bis Accus. pag. 670.* Et *Isocrates tradidit in Orat. Areop.* homines intolerabiles suo tempore in Areopago sedisse. Imò sortitio tandem datos Areopagitas *Schol. Aristoph. in Vespis* ait: Βέλονται καὶ ἐν Ἀρείῳ πάγῳ, βέλονται καὶ ἐν ἄλλῳ δικαστηρίῳ ἀναγείρεσθαι i. e. Cupiunt & in Areopago & in alio tribunali per literas sortitio inferi. *Conf. Meurs. d. l.* Et *Cicero in Orat. pro Corn. Balbo* prodidit suâ ætate Romanos æque ac Athenienses, eosq; imperitos & tanto judicio indignos in Areopago judicasse & cum cæteris cognovisse. *Galienum quoque Imperatorem inter Areopagitas lectum, & Ruffum Festum, Asiæ ProConsulem Ubbo Emm. de Rep. Ath. pag. 434.* confirmat. Quem honorem quoque *Hadrianum Imperatorem* gessisse non obscure colligi potest, quòd, cum Athenis ageret, Ἀρχὼν Ἐπιώνυμος creatus fuerit. *Vide Kekerman. Syst. Tom. 2. p. 1510.*

§. 3. Ex quo jam fit, ut intelligatur, Areopagitas certò numero definiri non posse. Scribit equidem *Gregorius Callistus lib. 2. Hist. Eccl. cap. 20.* novem fuisse Areopagitas: sed fortassis Novemviros cum Areopagitis confundit. Duodecim Diis in Areopago Martem & Orestem capitis absolutos ex supra dictis compertum habemus: sed aniles & superstitionas Poetarum fabulas hoc redolet. Scholiastes *Aristophanis in Eumenidibus* triginta & unum Areopagitas numerat: ὁ ἀριθμὸς τῶν Ἀρειοπαγιδῶν λ' καὶ εἷς, i. e. numerus Areopagitarum est triginta & unus. Sed duplicem lapsum hinc observat *Sam. Petit. in Leg. Att. fol.* unum scholiastæ: librarii alterum. Verba *Petiti* ita sese habent: Mutavit librarius τὸ γ' in ζ' λ' facili lapsu, itaque rescribendum est: ὁ ἀριθμὸς τῶν Ἀρειοπαγιδῶν γ' καὶ εἷς, atque hoc librarii peccatum: Auctoris verò, quòd Areopagitas dicat, qui Ephetæ sunt: nam Ephetæ erant quinquaginta & unus. *Maximus in Prologo ad Dionys. Areop. & Pachymerius LI. extitisse* scribunt; sed eodem fortassis errore hærent, quòd Scholiastes, confundentes etiam Areopagitas cum Ephetis. *Vid. Meurs. Tr. de Areop. cap. 5. Bodinus de Rep. lib. 3. cap. 1. pag. 381.* asserere non dubi-

dubitat Solonem Areopagitarum consilium ex civibus splendidissimis LX. constituisse. Petitus & Ubbo Emmi^o locis sæpius allegatis ex veteri quâdam inscriptione, Ruffo Festo, Asiæ Proconsuli scriptâ, trecentos Areopagitas computant, quæ apud Volaterranum his concepta verbis legitur: Τῶ λαμπροτάτῳ ἀνδραπάτῳ τῆς Ἑλλάδος Ρύφῳ Φαίτῳ καὶ Ἀρειοπαγίτῃ, ἢ ἐκ Ἀρείῃς πάγῃς Ἑλλή τῶν τριακοσίων, καὶ ὁ δῆμος ὁ Ἀθηναίων εὐνοίας καὶ εὐεργεσίας ἔνεκα, i. e. Splendidissimo Græciæ Proconsuli Ruffo Festo & Areopagitæ, trecenti Areopagitæ populusq; Atheniensis benevolentia & gratitudinis ergo scribi hoc curaverunt. Ex Diogene Laertio in vita Socratis discimus, Socratem, cujus condemnationem in Areopago factam fuisse ex accusatione & delictis colligunt Meursius, Lorinus & quam plurimi alii, CCCLXI. Areopagitas condemnasse; Ita enim scribit: Damnatus est Socrates judicium sententiis CCXXCI. supra eas, quibus absolvebatur. Et paulò post: Mortem ipsi adjudicaverunt adjectis aliis XXC. sententiis. Sed ex hoc Areopagitas tantùm, qui Socratem condemnaverunt, scimus: ubi autem qui Socratem absolverunt, investigabimus? Ast quid faciendum Ciceroni, qui dicta Oratione pro Cornelio Balbo Areopagitas suo tempore CERTA TRIBU, CERTOq; NUMERO Athenis jus dixisse prodidit? Respondebitur: Certum omninò Areopagitarum numerum dari non posse: singulorum verò annorum senatores CERTA TRIBU CERTOq; NUMERO constitisse.

§. 4. Quemadmodum autem Magistratum, veluti in speculâ constitutum, omnibus ac singulis, civibus subditisq; integritatis & sanctimoniam lucem fænerare oportet: Ita quoque Areopagitas, ut ab omni labis & maculae suspicione immunes essent, omni studio allaborasse, fideles Historicorum paginae constanter evincunt. Edocet id nos Hyperides apud Athenæ: *lib. 13. f. 566.* qui in Orat. contra Proclum ad excludendum gravissimo hoc confesso satis criminis fuisse scribit, cibum in caupona sumsisse. *Conf. Ubb: Emm. de Rep. Ath. pag. 21.* Et Autolicus laudatur, quod bene honesteq; pro senatus Areopagitici autoritate vixisset. *Æsch. in Tim. fol. 272.* Nec alea ludere decebat eum, qui iudicis Areopagitici spartam subire vellet, *Lys. Or. XV. pro Mantitheo*

urbes pag. 267. Quid? tam sancti fuerunt Areopagitæ, ut nullus unquam omni tempore repertus fuerit, qui inter Areopagitas cooptatus, etiam si ingeniti vitii quid haberet, illud non statim abjecisset. *Isoc. Or. Areop. Theod. Zyving. in Th. Vol. 28. l. 2. f. 4310. Kekkerman. in Syst. Tomo 2. pag. 1517. Dilber. Diff. Phil. T. 2. pag. 302. 303. It. Budæus Comm. in Pand. fol. 95.* Nullo quoque modo, ut jus flecterent, se corrumpi patiebantur. Uti enim Jamblichus ait: Τὸν Σωτῆρα καὶ Φύλακα τῶν νόμων ἀδίκητον εἶναι δεῖ εἰς δύναμιν ἀνθρώπινην, i. e. magistratum tam incorruptum esse oportet, quam fieri potest in rerum natura. Unde Proverbium natum: Ἀρειοπαγίτης σκυθρωπότερος, de iudice prorsus incorrupto. Erasmus in Chiliad: Quare neque Actor, neque reus de iniquitate sententiæ jure conqueri poterat. Ideo factum, ut ob justitiæ rigorem, cui perpetuò studuerunt Areopagitæ, cum alii statuis coronisq; decorarentur, illi tanquam perpetuum justitiæ exemplar & virtutum Anathema, coronis statuisq; non decorati sint. *Æschin. in Orat. contra Ctesiphon.* Propter hanc, quam præse ferebant, omnibus numeris absolutam integritatem & sanctimoniam, maximâ pollebant autoritate. Terrorem etenim incutiebant omnibus, omnesq; etiam apud eos in jus vocatos apparere oportebat. Igitur Pisistratus, etiam si summâ rerum potius esset, apud Areopagitas homicidii accusatus, se stitit, nec iudicium eorum effugit. *Arist. Pol. lib. 5. cap. 12. It. Zyving. in notis ad b. l. f. 472.* Non tamen pro arbitrò poenas irrogare poterant; sed cum modestiâ. *Meurs. Tr. de Areopag. cap. 4.* Nec ad superiorem ab eis magistratum alium appellare licitum, nisi ad Jovem: à quo privilegio de Non - appellando reliqua iudicia excludebantur. Idcirco tot Martes, quot iudices credebantur adesse. *Waltb. in Mis. Th. Cent. 1. pag. 615.* Heroesq; & Semidei; non homines. *Stephan. de Jurisd. l. 2. cap. 8. num. 8.* Quare etiam nonnunquam factum, ut oratores defecerint, uti referente *Æliano lib. 8. cap. 12.* Theophrastus Eresius verba in Areopago faciens, defecit, causam prætendens, se perterritum fuisse senatûs Areopagitici autoritate. Præterea sacrilegium erat, risum movere præsentibus Areopagi iudicibus. *Æsch. in Tim. fol. 273. Conf. Sigon. de Rep. Ath. lib. 3. cap. 2. Ubbo Emm. de Rep. Ath. lib. 3.*

lib. 3. cap. 2. *Walib. in Mis. d. l. Beyerling lit. R. fol. 350. Corn. à Lap. in Not. ad Acta. Th. Zving. in Th. Vol. 1. lib. 3. fol. 236. Bod. de Rep. lib. 3. cap. 5. pag. 484.* Atque ne ludibrio petulantibus essent, Poetis prohibitum erat, istos insectari convitiis & in comædiis perstringere. *Lys. Or. 8. pag. 114. & 115.* Et ne ipsi se prostituerent, à comædiis, tum spectandis, ut *Dilh. d. l. existimat*, tum scribendis prorsus abstinebant, juxta legem, quam *Plutarchus citat. lib. de Gl. Ath. Μηδέναι ποιεῖν κωμωδίας Ἀρειοπαγίτην*, i. e. Nullus Areopagitarum comædiam scribat.

§. 5. Tandem tamen sacrosancta & veneranda Areopagitarum autoritas maximum passa est naufragium. Pericles enim, operâ Ephialtis, ut in aliis judiciis; ita & in hóc ad populi tribunal seu Quingentos provocationem dedit, ὑπευθύνος etiam Areopagitas fecit, i. e. rationib⁹ reddendis obnoxios, quam ὑπευθυνίαν demum legibus confirmatam *Æschines Orat. contra Ctesip. fol. 430.* tradidit. *Conf. Arist. Pol. lib. 2. c. 12. Zving. in Not. ad b. l. f. 220. Ubbø: Emm. de Rep. Ath. p. 23. It. Postel. de Rep. Ath. cap. 14. p. 129.* Reddebant autem rationes suas quotannis, non ut alii magistratus, certò statòq; tempore: sed ubi & quando Logistis, qui magistratus erant, ad hanc rem electi, numero decem, exceptò scribâ, visum erat. Notatu autem dignum est, quod ante præstitam ὑπευθυνίαν nullus Senator Areopagita peregrè proficisci, aut anathema appendere, aut testamentum facere poterat; ne, si bona patria dilapidasset, Respubl. detrimenti quid caperet. *Æsch. d. Or. fol. 430. & 431.* Formula, quâ in rationibus reddendis usi sunt, hæc fuit: ἔλαβον τῶν τῆς πόλεως, ἴστω ἀνήλωσαι ἔλαβον ἔδεν τῶν τῆς πόλεως, ἔδεν ἀνήλωσαι, i. e. Hoc de publico accipi; hoc expendi: nihil de publico accipi, nihil expendi. A prisca tamen desciverunt legum observantiâ: muneribus enim corrupti leges frangebant, alienasq; permolebant uxores. Obje- cit hoc ipsis Demetrius Phaleræus referente *Athenæo lib. 4. fol. 167.* Ἀλλὰ ἐλευθερίως ζῶ, καὶ ἐταῖραν ἔχω τὴν καλλίστην, καὶ ἀδικῶ ἔδεναι, καὶ πίνω χῖον οἶνον, καὶ τὰλλα ἀκέρυτων ὠδασκευάζομαι, τῶν ἰδίων μὲν προσόδων εἰς πάντα ἐκποιρῶν ἔ καθάπερ ὑμῶν ἐνιοι, δεκαζόμενός τε ζῶ, i. e. liberam ego vitam ago, & scortum habeo pulcherrimum, sed nemini injuriam facio; vinum etiam Chium bibo, sed omnia de meis privatâq; copiâ sup-
petunt:

petunt: nec quemadmodum vestrum vitam meam sic instituo, ut muneribus corruptus à recto deflectam & alienas uxores stuprem. Idem etiam refert *VVolf. in Notis ad Demosth. fol. 1299.* de Timocle quodam, quod ille Areopagitam corruerit. Quomodo Phrynem, elegantissimum scortum, absolverint, recenset idem *Atheneus lib. 13. fol. 590.* Nimirum produxit eam Hyperides Patronus in medium, & discisis tuniculis pectus nudavit: iudices conspectâ mammaram pulchritudine, cutisq; eburneo colore, tacti religionis æstu Phrynem tanquam ministram & sacerdotem Veneris absolverunt. Sed religio, quâ movebantur Areopagitæ, prætextus erat celandæ impuditiæ & profusæ libidinis. Confer Eustathium & Plutarchum in vitis Rhetorum. Nimium etiam legibus adhærentes, & ad earum trutinam cuncta examinantes in alterum sæpissime extremum prolapsi sunt. Ideò improbantur ab eruditis eorum iudicia, quibus Anaxagoram, Socratem, & puerum coturnicum oculos effodientem damnaverunt. Quare non immeritò *Francis. Polletus lib. 2. Hist. Fori Romani cap. 153. pag. 189. ap. Donel. Ennot. Part. 2. lib. 17. cap. 24. pag. 219.* scribit tristem & rigidum Areopagum plusquam Stoicum magis *fungos & saxa* in subselliis suis habere, quàm *homines*. Quantâ stoliditate interdum iudicaverint, testatur exemplum, quod citant *Ammianus Marcell. lib. 29. Valer. Max. lib. 8. cap. 1. Gell. Noct. Att. lib. 12. cap. 7.* Quid enim aliud est post centesimum annum iterum adesse debere sententiam audiendi causâ, quàm suam in legibus ignorantiam & stultitiam prodere, quùm hâc ratione neq; reus absolutus; neque Actori satisfactum fuerit. Nec laudandum est illud eorum iudicium, quò mulierem, quæ poculò amatorio juvenem interemerat, absolverunt, dicentes; amoris causa fecisse hoc mulierem, nec intentionem fuisse malam; sed præter conceptam spem id evenisse: quùm non sint facienda mala, ut eveniat bonum. Quare in fabulis suis Comici eos traducere cœperunt palam & quasi expresso nonnunquam nomine: & Demetrius quidam, Poëta, fabulam composuit, cui nomen Ἀρεοπαγίτης indidit. *Dilb. T. 2. Diss. sæpius citata & Meurs. Tr. de Areop. cap. 5.*

CAPUT

CAPUT IV.

Areopagitis duplex munus imposuit Solon. Areopagite Reipubl. prospiciebant & pacis & belli tempore. Fractâ Areopagitarum autoritate miserabilis Atheniensis Reip. facies. Areopagite leges custodiebant. Areopagite viarum publicarum curam habebant. Areopagite morum censores erant. Areopagite Inspectionem convivarum in conviviis & nuptiis habebant. Areopagite curabant, ne peregrini quid contra instituta patria in urbem introduceretur.

§. I. Uti ex Plutarcho in Solone apparet, duplex obeundum munus Senatui huic Areopagitico imposuit Solon: alterum ut in omnes Reipubl. partes intueretur: alterum, ut de delictis inquireret. Quod primum Areopagitarum munus concernit, primò omnium *Ἐπισκοπία τῆς πολιτείας*, Reipubl. conservatio occurrit, ut nimirum illa sarta tecta conservetur, atque ab omni injuria vindicetur. Sunt autem duo temporum genera, pacis unum; belli alterum: quorum unum semper optabile; alterum minus optabile, nonnunquam tamen necessarium. Utroque tempore in medium consuluisse Areopagitas, extra omnem dubitationis aleam positum est. Voluit enim Solon, postquam Areopagi autoritatem, à Dracone constitutis Ephoris valde imminutam, iterum quasi ex sepulchro excitaverat, ut tribunal Areopagiticum quasi altera Reipubl. anchora esset, quæ cum senatu Quingentorum quovis tempore Urbi adfisteret, & ne quid detrimenti caperet, summo studio provideret: quare etiam *Φύλακα τῆς πολιτείας*, custodem civitatis Solon esse iussit. Igi-

D

tur gravem tempestatem sensere Athenienses, cum Pericles auxilio Ephialtis, quod nec Archon, nec Rex, nec Polemarchus, nec Thesmotheta lectus esset, ut tandem finitō Novemviratus annō Areopagita crearetur, Areopagitarum autoritatem quodammodo sustulisset, & quæ prius in Areopago tractabantur, ad populum, ut ejus gratiam captaret, transtulisset: non enim multō post variis discordiarum motuumq; civilium procellis Respubl. agitari cœpit; & cum alius anchoras jacere; alius portum tenere; alius vela facere conaretur, obortâ tempestate fœdum hostibus sui naufragii spectaculum dedit. *Plut. in Sol. & Peric. Paus. in Att. Meurs. in Solo. cap. 15. It. de Areop. cap. 5. Sig. de Rep. Ath. l. 2. cap. 5. Kekkerman. Syst. T. 2. pag. 1517. Bodin. de Rep. lib. 3. cap. 1. pag. 381. & 403. Sabellicum Ennead. 2. lib. 5.* Accidisse hanc Athenis calamitatem anno Mundi MMMCDCXC. ante Christum natum CCCCLIX. Consulibus Romæ, Volumnio Gallo & Servio Sulpitio Camerino Cornuto, ut Calvisius computat *in Chronol. fol. 87.* Et regnantibus Athenis triginta Tyrannis, posteaquam illi augustissimum hoc & religiosissimum totius Græciæ iudicium, carnificum triste collegium & fœdum sceleratissimorum hominum consortium fecissent, non minorem experti sunt Athenienses eladem: uti enim *Seneca de Tranq. cep. 3.* refert, nullâ habitâ justitiæ & æqvitat̄ ratione jus dicebatur: nec ex more & legibus patriis imperabatur; neglectis bonis terræ filii evehebantur; fides ridebatur; religio spernebatur; cives miserrimè trucidabantur; & miserabili adpectu divina pariter & humana miscebantur.

§. 2. Contendunt inter se Eruditi, an semper & ubiq; Areopagitæ prospexerint Reipubl.; an verò belli tantum tempore, quando in summō discrimine versari cœpisset Respublica? Libanius, Argumentator Demosthenis, *Argum. in Orat. Androt. fol. 698. & Petrus Gregorius de Rep. lib. 4. cap. 5. num. 42.* existimant, Areopagitas criminalia tantum tractasse; publica autem cum maxima incidisset calamitas. Sed contradicit his jam laudata Solonis constitutio. Et *Dinarchus Orat. contr. Demosth. fol. 188.* Τὸ ἐν Ἀρείῳ Πάγῳ συνέδριον κοινὴν τῶν σωμάτων Φυλακὴν, i. e. Areopagiticum consilium communem corporum custodiam appel-

appellat. Idem etiam inculcat *Lysias Orat. 25. pag. 413.* asserens, Areopagiticum senatum omni tempore summam maximarum rerum potestatem habuisse. Consentit Svidas in voce Ἄρειος Πάγος, ubi dicit Areopagitas capitales causas judicasse & cetera civilia magnâ cum gravitate administrasse. *Vide Demost. Orat. de Corona.* Quod autem in bello Reipubl. susceperint curam Areopagitæ, observavit Plutarchus in Themistocle, ubi narrat Areopagitas singulis militibus octo drachmarum stipendium constituisse. Audiendus quoque est Cicero *lib. 2. de Nat. Deor.* testis in hanc rem luculentissimus: Quamvis enim, ait, Themistocles jure lauderur, & sit nomen ejus, quam Solonis illustrius, citeturq; Salamis clarissimæ testis victoriæ, quæ anteponatur consilio Solonis, ei, quo primùm constituit Areopagitas: non minus præclarum hoc, quam illud, judicandum est. Illud enim semel profuit; hoc semper proderit civitati: hoc consiliò leges Atheniensium; hoc majorum instituta servantur. Et Themistocles quidem nihil dixerit, in quo ipsum Areopagum juverit: At ille juvit Themistoclem. Est enim bellum gestum consilio senatus ejus, qui à Solone erat constitutus. Nec est, quod de pacis tempore quis dubitet. Manifestum hoc fit ex *Arist. Pol. lib. 5. cap. 4* qui Areopagiticum senatum florentem tempore Medici belli Reipubl. pro virili administrasse prodidit. Idem etiam *Cicero lib. 2. de Nat. Deor.* inquit: Ut si quis dicat Atheniensium Reipubl. consiliò regi, desit illud, Areopagi: Sic dum dicimus, providentiâ mundum administrari, deesse arbitror Deorum. Et *Lib. 4. Epist. ad Att. Ep. 14.* scribit: Ex quò intellectum est, θεῶν Ἀρεοπαγίτης ambitum, comitia, interregnum, majestatem, totam denique Reipubl. flocci non facere. Rectè igitur ac verè scripsit *Sam. Petit. de Leg. Att. fol. 243* Nihil quicquam, quod alicujus esset momenti, sine senatus hujus autoritate, neque in togâ, neque in sagò fiebat. *Vid. Thys. Disc. de Rep. Arb. It. in Not. ad Gell. lib. 12. cap. 7. Lorin. Comm. in Acta. Cap. XVII. Micr. Syntag. Hist. Pol. lib. 1. Sect. 3. p. 92. Bodin. de Rep. lib. 3. c. 1. pag. 391. Kekkerman. Tom. 2. Syst. pag. 1517.* Huc trahendum, quod *Athenæus lib. 13. fol. 594.* de Harpalò quòdam, homine sceleratò & luxuriòsò recenset. Ille enim ingentem auri summam

Alexandro Macedoni furatus erat, & quò tutus esset, Athenas se contulerat. Athenienses Reipubl. omninò interesse credebant, si Harpalus Urbe ejiceretur: nolebant enim propter Harpalum periculo se exponere, & laceffere temere Alexandrum. Harpalus cum audisset Athenienses id cum primis agere, ut Urbe pelleretur, Demosthenem calice aureo & XX. Talentis corrupendum suscepit. Stratocles tantà auri vi Demosthenem delinitum suspicatus (simulabat enim is morbum, ne contra Harpalum in foro agere teneretur) populo persuadet, ut senatum Areopagiticum in rei veritatem inquirere jubeat. Senatus, re inquisitâ, refert populo, pateram & XX. Talenta se apud Demosthenem invenisse. Sed hic, ut pœnam evitaret, in voluntarium abiit exilium. *Vide Zwing. in Tb. Vol. 18. lib. 5. fol. 3411.*

§. 3. Atque ut Respublica, civesq; ab omni parte beati semper florent, Senatus Areopagiticus Φυλακίω τῶν νόμων, legum custodiam administrabat. Ita enim Cicero loco modò citato: Hòc consiliò leges Atheniensium; hòc majorum instituta servantur. Idem etiam profert Andocides in Psephismate quodam, quod nobis descripsit: *Ἐπειδὴ δὲ τῶν νόμων ἐπιμελείω ἡ βουλὴ, ἢ ἐξ Ἀρείω Πάγος τῶν νόμων, ὅπως αὖ αἱ ἀρχαὶ τοῖς κειμένοις νόμοις χρῶνται,* i. e. Posteaquam verò leges positæ sint, earum curam gerat senatus Areopagiticus, ut nimirum magistratus reliqui legibus positis utantur. *Vide Beroald. & Steyvig. Comm. in Apul. lib. 10. de As. Aur. Postel. de Rep. Ath. cap. 6. pag. 67. Thys. Dis. de Rep. Ath. Kekkerman. d. l. pag. 1529.* Et quoniam inter cæteras totius Orbis civitates omnes, tanquam Sol fulgentissimus inter minora sidera, fulgebant Athenæ: ex iis enim, tanquam ex eqvo Trojano, innumerabiles sapientes prodierunt, & ad eas, tanquam ad omnis sapientiæ fontem, omnes undiquaque nationes confluxerunt; huic splendori, quem sibi comparaverunt Athenæ, ne quid vaga ædium ædificatione, ultraque terminos communes prominentium ædicularum & suggrundarum extructione fortè decederet, ἐπιμελείω τῶν πλατῶν seu viarum publicarum curam habuisse Areopagitas, Heraclides reliquit in libello, quem de Rebuspubl. inscripsit, in *Tract. de Rep. Athen.* circa finem, & ex eo *Meurs. de Fort. Athen. cap. 3. pag. 20.*
Solum

Solum enim, inquit *Petrus Tholosanus Syntag. Jur. Publ. lib. 1. cap. 2. fol. 2.* via publica tantum publicum est, in qua nullum jus est aliquid operis faciendi privato. Ideoque etiam vias βασιλικὰς Græci appellant, Latini Regias, i. e. Regis, qui juris publici tueretur vim atque causam.

§. 4. Cum autem bene constituta Reipubl. nihil æque perniciosum sit, quam pravi mores; succrescunt enim, inquit *Plaut. in Trin.* quasi herba irrigua: ideo ut istud quoque malum tollerent Athenienses, καλοκἀγαθίας ἐπιμέλειαν seu morum censuram Areopagitis commiserunt. Declarat hoc *Isoc. Orat. Areop.* ubi majores Senatum Areopagiticum censuræ morum præfecisse dicit, ut cujusque specularetur vitam, immodestosque ac incivilia agitantes, in senatum adduceret. Præprimis verò operam dabant, ut adolescentes bonis & probatis moribus expolirentur, quare etiam, ut *Ælianus refert lib. 3. cap. 33.* in Academia ridere non licuit: & puerum, coturnicum oculos effodientem damnaverunt, quod sub pessimis ejus moribus, ut *Quintilianus profert*, perniciosissimam mentem, multisque, si adolevisset malo futuram, latere existimaverint. Idcirco non in lustris alea ludebant adolescentes, cum Areopagitarum nutu regerentur Athenæ; nec versabantur apud tibicinas; nec illicitis conventiculis, ut sequioribus temporibus fiebat, totos dies conterebant. *Isoc. d. Or. Vid. Ulbo Emm. de Rep. Ath. pag. 21. Kekkermann. d. l. p. 1514. Zoving. in Tb. Vol. 18. lib. 1. fol. 3278. & Wolff. Comm. in Isoc. d. Or. fol. 490.* qui ideo censores morum Areopagitas appellat.

§. 5. Præterea quoque Convivas in Conviviis & nuptiis inspiciebant. Cum enim universa Græcia computationibus diurnis nocturnisque omnibus libidinibus amplissimas fenestras aperiret, Athenienses, ut turpitudine hæc evitaretur, civibus suis injunxerunt, ut ab iisdem abstinerent. Et quoniam pro more suo plebs ægrè adduci poterat, ut ejuraret comestationes, lege tandem sanxerunt, ut ne cui fas esset ultra triginta convivas invitare. Hæc lex, ut observaretur, Areopagitis & Gynæconomis animadvertendi in delinquentes negotium datum est. Ita enim *Philochorus ap. Athen. lib. 6. fol. 245* dicunt Gynæconomos cum Areopagitis observasse conventus, qui fiebant in privatis ædibus,

in nuptiis & holocaustis oblati. Nec tantum convivas justum numerum excedentes observabant, verum etiam *αυτομάτως* sive Umbras, qui nimirum non invitati ad convivium accesserant. Discimus hoc ex *Lynceo Samio ap. Athen. d. l.* qui Chærephonti parasito, ultrò ad epulum nuptiale accedenti, à Gynæconomis & Areopagitis, ut faceretur, dictum fuisse relatum nobis reliquit. Hos *αυτομάτως* seu Umbras in imam lecti spondam Dominum convivii deduxisse scribit *Alex. ab Alex. Gen. dier. lib. 5. cap. 22. p. 301. a.* Ratio, quâ utebantur in inquirendis parasitis, hæc prope modum ex Autoribus elici potest. Ab initio ipsi adibant convivantium domos, in eorumq; numerum inquirebant. Si deprehenderent, convivas excedere numerum præscriptum, irrumpebant in triclinium, quos superesse videbant, deturbabant omnes. Patet hoc ex Timoclis Philodicae *ap. Ath. l. c.* cujus versus Dalechampius interpretatus est:

Aperite fores, ut ad lucem magis

Conspicui simus, si forte, qui perlustrat, circumit

Gynæconomus, exigere ad novæ legis præscriptum

Velit numerum convivarum.

Quoniam verò in tam amplissima & maximè patente civitate, singulas convivantium domos adire, in eorumq; nomina inquirere, difficile nimis erat & molestum: insequentem tempore coqui nomina invitatorum ad eos deferre cogebantur, ut scirent, peccatumne esset in leges, nec ne? *Vid. Petit. de Leg. Att. fol. 540. & Casaabon. Exercit. in Athen. fol. 430.*

§. 6. Tandem curabant quoque, ne peregrini quid contra instituta patria in Urbem introduceretur. Erat enim populus Atheniensis rerum novarum vehementer cupidus, quod prolixè docet *Pryceus in Not. ad Act. Cap. XVII.* Unde Proverbium natum: Athenis semper aliquid novi. *Erasm. in Cbiliad.* Autor id nobis est Svidas in voce *ἐπίθετα*: *Ἐλέγετο δὲ παρ' αὐτοῖς καὶ ἄλλα ἐπίθετα ἴνα, ὅσα μὴ πατρία ὄντα ἢ ἐξ Ἀρείσ πύγῃ βελή ἰδικάζε,* id est, apud ipsas & alia quædam *ἐπίθετα* vocabantur, i. e. peregrina, de quibus Areopagiticus senatus cognoscebat, quod non essent patria. Quare nec vestibus peregrinis uti licebat, nec coquis concessum, splendida nimis & opipara, juxta Persarum morem, apparare convivia. CAPUT

CAPIT V.

Areopagite inquilinos & peregre venientes Urbe ejiciebant. Inquirebant, quo quæstu quisque se sustentaret, & quod quisque ageret. Curabant, ut liberivite educarentur. Taxabant bonorum patriorum decoctores. Athenienses studiosi status regiminis Monarchici, qui ab Areopagitis sartus tectus conservabatur. Areopagite Proditores patriæ examinabant. Homicidæ ex *εὐεργετας* apud Areopagitas in jus vocabantur: It. Incendiarii & *Φαεμανωδότηων* convicti. Areopagite in adulteros statuebant. Eorum pæna. Areopagitarum summa cura erat, ne religio a vita, & cultus divinus detrimenti quid caperet, noviq; DEI colendi introducerentur. Areopagite invehabant in violatores Religionis. Modus, quo Religionem violari credebant Athenienses. Sacrilegi Areopagitarum rigorem sentiebant. *Exempla sacrilegorum punitorum.*

§. 1. Sequitur alterum Areopagitarum munus, quo in violatores legum animadverterunt. Primum hic sibi vendicant locum

locum *Μέπικοι* sive Inqvilini, quos non approbatos & in Al-
bum civium receptos Urbe ejiciebant. Patet hoc ex Oedipo
Coloneo Sophoclis:

Talem ego senatum civibus in Areopago
Rectè consulentem, & generosum esse noram, qui non
concederet,

Ut homines ita temere errantes, in hâc Urbe simul con-
siderent,

Quibus rebus confisus hanc aggressus sum prædam.

Docente enim *Aristotele Polit. lib. 3. cap. 1.* tria Athenis vixerunt
hominum genera, *πολίται, μέπικοι καὶ δῆλοι.* *Πολίται* fuerunt
matre & patre cives Athenienses, aliò nomine *Ευπατρίδαι* seu
αὐτόχθονες, hi soli jura civitatis possidebant, & soli ad hono-
res, tum sacros, tum profanos admittebantur. *Μέπικοι* non
fuerunt sanguine Athenienses, sed *Ξενικοί* seu Advenæ, qui vel
artis ejusdam exercendæ causâ, vel ut literis operam darent,
Athenas commigrârant; *Δῆλοι* verò vernæ seu mancipia, qui à
juribus & omnibus civitatis immunitatibus penitus excludeban-
tur. Horum ex recensione Demetrii Phaleræi quinquaginta
myriades; illorum decies mille; istorum verò duæ myriades ac
insuper mille numerabantur. *Athen. lib. 6. fol. 272.* Ne igitur ve-
luti lacuna essent Athenæ ac Sterqvilinium, ubi, quicquid con-
flueret, reciperetur, oportebat advenas intra breve tempus apud
Quingentos jura civitatis ambire, atque ut *εἰς κοινωνίῳ τῆς οἰκῆ-
σιως* reciperentur, eorumq; *γραμματεῖω* inscriberentur, postu-
lare: aliàs apud senatum Areopagiticum accusati perpetuò exi-
liò multabantur.

§. 2. Et quoniam homines nihil agendo discunt malè
agere: ait enim Sophocles in *Iphigenia*:

Τίκαται γὰρ ἔδδεν ἑσθλὸν εἰκάια χολή, i. e.
Nihil boni parit otium inane.

Ideò Solon voluit, ut etiam Areopagitæ studiosissimè inqvire-
rent, quid quisque Atheniensium ageret, aut quo quæstu se su-
stentaret. *Plutarch. in Sol. Diog. Laërt. in Sol. pag. 37. Valer. Max.*
lib: 2.

lib. 2. cap. 6. Funger. in Not. ad Valer. Max. d. l. Causabon. Exerc. in Athen. lib. 4. fol. 300. Dilb. Diff. Arcop. Tom. 2. d. l. Beyerling. Lit. P. fol. 436. Ubbo Emm. de Rep. Ath. pag. 21. Alex. ab Alex. libr. 3. cap. 13. pag. 114. lit. a. Theod. Zwing. in Not. ad Arist. Pol. lib. 5. cap. 8. fol. 439. It. in Theat. Vitæ Hum. Vol. 18. lib. 5. fol. 3457. Francisc. Petr. de Institut. Reip. lib. 4. Tit. 6. Wolff. in Not. ad Isoc. fol. 492. Mutuatus autem hanc legem Solon ab Ægyptiis. Scribit enim Herodot. lib. 2. quod Amasis, Ægyptiorum Rex, primò legem condiderit, ut quotannis Provinciarum Præsides demonstrarent, unde subditi viverent. Atque ut à tenerâ statim ætate homines laboribus adsvescerent: à teneris enim adsvescere multum est: summam curam impendebant Arcopagitæ, ut rite liberos parentes educarent. Isoc. Orat. Arcop. Videbant enim eam ætatem turbulentissimis agitari affectibus, plurimisq; abundare cupiditatibus, ideoq; sic instituendam esse, ut honestis studiis & laboribus voluptate temperatis adsvesceret. Igitur Menedemum & Æiclepiadem, Juvenes quidem & prætereâ egenos, sed Philosophos tamen, accerserunt interrogatum, quâ in tantâ rerum penuriâ Philosophiæ operam dare; tamq; valido corpore esse possent, & quùm eos deprehenderent tempus non inani otio transigere, sed interdium studere; noctu verò in pistrino molere, ducentas ipsis drachmas donarunt. Athen. lib. 4. fol. 168. Quod si verò fortè eveniret, ut parentes liberorum vel prorsus abjicerent curam; vel certè non satis haberent fidelem; nec arti cuiusdam addiscendæ admoverent, ipsi suo opte ingenio & suâ spontè pueris adultioribus factis omnium artium instrumenta proponebant, ut quisq;ve eligeret, quibus tractandis à naturâ se idoneum factum existimaret. Cujuscunq; igitur artis instrumenta elegerat adolescens, eam etiam exercere, & singulis annis in senatu Arcopagiticò de eâ rationem reddere tenebatur. Wolff. in Not. ad Isoc. Orat. Arcop. Joach. Steph. de Jurisdic. l. 2. cap. 15. Accusatus apud Arcopagitas, si tertium admonitus, ad meliorem frugem redire nollet, ex Solonis præscriptò omnibus exuebatur honoribus. Jul. Poll. lib. 8. cap. 6. Τῆς ἀργίας ἢ τὸ ἕμισμα ἐπὶ Σώλωνος, εἰ τρίτος τις ἀλῶν ἠπιμῆτο, i. e. otii pœna erat ex instituto Solonis, ut tertium convictus, honoribus multaretur. Conf. Thys. de Rep. Athen. pag. 258.

§. 3. Ἄποτοι etiam & bonorum paternorum decoctores taxabantur ab Areopagitis. Tradiderunt hoc Phanidemus & Philochorus apud *Athen. libr. 4. fol. 168.* Et Demetrium Phalærum, quod nimis luxuriosè viveret, adhortati sunt, ut ad meliorem frugem sese reciperet. *Id. d. l.* Hujus criminis convicti compertiq; notabantur ex Præscripto Solonis Ἀλιμία. *Laërt. in Vita Sol. pag. 37.* Βύλευσις item seu insidiæ vitæ structæ, sive mors secuta fuerit, sive non, & τραῦμα ἐκ παρονοίας, vulnus consilio factum, censuram Areopagiticam incurrebant. Illud docet Svidas in voce Βύλευσις: hoc verò *Demosthenes in Aristog. f. 728. & Orat. advers. Bæotum fol. 1012. Æsch. Orat. Cont. Ctesiph. fol. 435. & 462. Lys. Or. 14. cont. Andocid. pag. 61. Confer etiam Orat. 2. & 3. Poll. libr. 8. cap. 10. Sigon. de Rep. Ath. libr. 3. cap. 2. Meurs. Tract. de Areop. cap. 9. Petit. de Leg. Att. fol. 524.* Hujus sceleris manifesti patriâ bonisq; omnibus excidebant. *Lys. Or. 2. pag. 38. Orat. 3. pag. 51. Orat. 4. pag. 64.* Huc etiam refer *λειποταξίας καὶ Ἀποτασίας* accusatos, i. e. milites, qui metu periculi ex acie fugissent, aut clypeo abjecto ad hostes defecissent, tales enim Polemarchum ad Senatum Areopagiticum condemnandos detulisse, scribunt *Postell. de Rep. Athen. cap. 22. pag. 179. Meursius de Areop. cap. 9. Joach. Steph. de Jurisdic. libr. 2. cap. 2. notatosq; Ἀλιμία Petit. de Leg. Att. fol. 556.* probat.

§. 4. Sequuntur ἀναστρέψας τὴν πολιτείαν, Rempubl. destruentes, qui eversò statu Populari Tyrannidem, seu formam Regiminis Monarchicam introducebant. Hos enim in pœnam Areopagiticam incidisse, declarat Soloneâ illa lex, quam supra *Cap. 11. §. 1.* citavimus. Uti enim ex Veterum monumentis constat, Athenienses semper Democratia studiosi fuerunt, ideòq; etiam Reges ejecerunt, constitutis eorum loco Archontibus perpetuis. Et horum quoque pertæsi Archontes decennales ordinauerunt; donec autoritate Procerum prorsus fractâ, annuisq; Novemviris electis Solon absolutam Democratiam introduxit. Hunc popularem statum ne quis everteret, ac Tyrannidem affectaret, non solùm legibus latis, statutâq; gravissimâ capitis pœnâ caverunt: sed omnes quoque ad Principatum perveniendâ vias occluserunt. Erat enim moribus Atheniensium receptum, ut

ut in πατρίοις εὐχαῖς, quæ præfente populo peragebantur, ut Præco devoveret, qui Tyrannidem concupifceret. *Aristoph. in Thefmophor.* Et Heliastæ Judices inter cætera jurabant, se haut unquam paucorum Dominatum calculô fuô approbare, aut populi libertatem opprimere velle. *Demosth. in Tim. fol. 796.* Et si quando Ἀρχισπατίγοι eorum propter potentiam populo nimium invisi redderentur, essetq; periculum, ne Tyranni evaderent, exiliô decem annorum, quod Ostracismum vocabant, multati patriâ excedere jubebantur. *Vid. Kirchmayer. in Not. ad Cornel. Nep. pag. 160.* *Πεσδῶσεως* etiam τῆς πατρίδος ἐγκλημα, i. e. Crimen proditionis patriæ examinabant Areopagitæ. *Demosth. de Corona fol. 495. Æsch. Conf. Ctesiph. fol. 468.* Et Anaxagoram Philosophum non ἀσεβείας tantum, sed *Πεσδῶσεως* quoque causam apud Areopagitas dixisse, autor est *Diog. Laert. in Vita pag. 96.* Judicaverunt autem suâ sponte partim; partim populi scitô proditores patriæ, eosq; Heliææ iudicibus detulerunt. *Sigon. de Republ. Athen. lib. 3. cap. 2.*

§. 5. Præterea homicidas, qui prudentes hominem interemerant, iudicabant. Fabulis hoc primùm ostendit *Demosth. in Arist. fol. 735.* Ex historiâ autem verâ *Meurs. Tr. de Areop. cap. 3. 9. & 10.* Cephalus enim, quod Procrin Uxorem interfecisset; & Dædalus, quod Talum è Perdice Sorore nepotem sustulisset, in Areopago iudicati sunt: quorum ille perpetuô exiliô damnatus est; hic verò iudicatus ad Regem Minoem fugit. Pisistratus item propter homicidium in Areopago iudicium sustinuit. Et Polychares Messenius Evæphnum, quod filium trucidaverat, in Areopago iudicatum voluit. *Paus. lib. 4. fol. 146. & 147. Conf. Demosth. in Lept. fol. 564. Lys. Or. 1. pag. 15. Or. 9. pag. 126. & Or. 25. pag. 414. Poll. lib. 8. cap. 10. Dinarcb. Orat. contra Demosth. fol. 172. Luc. in Herm. pag. 741. Svidas in voce: Ἀρειοπαγίτης: Postel. de Rep. Athen. cap. 4. pag. 49. Dilb. Dissert. Areop. sæpiùs citata. Lazius Græc. Flor. lib. 2. fol. 93.* Non omnes tamen homicidæ Athenis apud Areopagitas in jus rapi poterant, etiamsi ex destinatô consiliô hominem interemissent: qui enim vel adulterum, vel manifestum Reipubl. hostem; vel Tyrannum occidebant, ab accusatione capitis prorsus immunes erant. *Erasm. Roterodam. in Declam.*

Declam. respondente Tyrannicidæ Luciani pag. 463. Nec homicidæ tantum, qui ipsi tam lacrum facinus commiserant, in Areopago dijudicabantur; sed is quoque, cujus erat autoritate & consilio cædes perpetrata. Exemplum cujusdam, qui cædem svaserat, recenset *Demosthenes Orat. in Canon.* quem Areopagiticus senatus in exilium ejecit. His annumerandi sunt Incendiarii, *Postel. de Rep. Athen. cap. 4. pag. 49.* Item venefici seu Φαρμακοδώσιως convicti, illos enim quoque in Areopago iudicium subiisse *Ælian. lib. 5. cap. 18.* demonstrat, qui mulierem prægnantem propter commissum veneficium Areopagitas internecioni dedisse asserit: & matrem familiâs, quod maritum atque filium venenô necasset, Dolabellam Asiæ Pro Consulē Athenas misisse, ut de eâ Areopagitæ cognoscerent, *Valer. Max. libr. 8. cap. 1. Amm. Marc. lib. 29. & Gell. lib. 12. cap. 7.* narrant. Ut autem cædes consultò factas severissimis modis vindicarent Areopagitæ, mors enim, perpetuumque exilium & bonorum omnium publicatio seqvebatur. *Demostb. in Midi. fol. 610.* Cædem tamen ex Philtri datione accitam punitam quondam non fuisse, *Aristot. Magn. Moral. lib. 1. cap. 17. It. Steph. de Jurisdict. lib. 2. cap. 8. & Dilb. l. c.* prodiderunt. Cùm enim mulier apud Areopagitas capitæ accusaretur, quod juveni cuidam ex propinarô Philtrô mortem conscivisset, illa tamen iudicum sententiis absoluta discessit, dicentium, non nocendi; sed amorem adolescentis conciliandi animô mulierem id fecisse.

§. 6. In adulteros quoque statuisset Areopagitas discimus ex *Lysia Orat. 1. pag. 15.* qui legem de occidendo adulterô pro mæchô deprehensô apud Areopagitas in columnâ incisam legi adstruit. Idem etiam docent *Screvelius in Not. ad Juven. Sat. X. vers. 316. & 317. Ubbo Emm. de Rep. Ath. pag. 384. Joach. Steph. de Jurisdict. lib. 2. cap. 2.* Et *Oecumenius in Not. ad Act. cap. XVII.* inquit: Ἄρειος Πάγος ἐλέγετο ὁ τόπος, ἐπειδὴν ὁ Ἄρης (ὡς Φασι) τῆς μοιχείας δικὰς ἔδωκε, i. e. Areopagus erat locus quidam sic dictus, quoniam Mars ibi, ut ferunt, adulterii pœnas dedit. Idem etiam inculcat *Salmeron* ad dictum Actorum locum, ubi inquit Martem in Areopagum tractum, ut causam Adulterii unum Venere, Uxore Vulcani, commissi, coram Deorum concilio

lio oraret. Hujus flagitii condemnatos, si pars læsa in forum, ut de eis cognoscerent Areopagitæ, Juxisset, gravissimâ pœnâ, quam *ραφανόδωσιν καὶ ῥαπιμὸν* appellant Autores, plectebant. Erat autem *ραφανόδωσεως καὶ ῥαπιμῆ* istiusmodi pœna: Adulter capitis damnatus, manibus pedibusq; ligno alligabatur, deinde crines ex podice & pudendis vellicabantur inpersô in vulnera cinere ignitô, & tandem Raphanus mediocris magnitudinis & oblongiusculus in anum intrudebatur. Svidas in voce *ῥαπίλλεται*. Schol. Aristoph. in Nub. in Plus. & in Acharnens. It. Zving. in Theat. vol. 28. libr. 3. fol. 4312. Nonnunquam mugilem piscem Raphani loco adhibuerunt. Juven. Sat. X. vers. 317.

Necat hic ferrô; secat ille cruentis
Vulneribus quosdam mœchos, & mugilis intrat.

Conf. Farnab. & Serev. ad b. l. Casaubonus verò lib. II. Exercitat. 5. in Athen. fol. 19. Scorpionem in usu fuisse scribit. Abdomen etiam mœchis abscidisse & virilia amputasse. Mart. libr. II. Epig. 48. asserit:

Quin etiam illud
Accidit ut quidam testes, caudamq; salacem
Demeteret ferrô.

Evolve Petit. de leg. Att. fol. 464. pluribus. Liberari tamen ab hâc pœnâ poterant adulteri, qui pecuniâ se redimebant, ut Svidas & Scholiast. Aristoph. locis jam citatis prolixius ostendunt.

§. 7. Inprimis verò res sacras cultumq; divinum administrabant Areopagitæ, & ne detrimenti quid caperet, aut contra instituta patria temere quid immutaretur, summoperè cavebant. Sciendum autem tria Deorum genera divinô honore tractasse Athenienses. Primum genus erant Dei καὶ ἐξοχήν sic dicti, quos fontem omnium bonorum credebant: Secundum genus animas Heroum comprehendebat, quos ut non principium omnis boni venerabantur, sed ut creaturas cæteris præstantiores, & quæ preces hominum deferrent ad Deos, eorumq; auxilium

lium & gratiam impetrarent. Ad tertium Deorum genus re-
 ferri possunt corpora naturalia, veluti sunt Sol, Luna, Ignis, &c.
 It. præcipui animi motus. Sic aram Misericordiæ extruxerunt
 Athenienses, Pudori itidem, Alacritati & Bonæ Valetudini. Et
 Spem ac Timorem χαλεπὸς δαίμονας Graves Deas Theognis
 vocat *vers. 637*. Necesitatem verò μεγάλην Θεῶν Callimachus
 in Hymnis vocavit. Et Euripides in Hecuba Fortunam cuncta
 gubernare dixit. Hisce suis Diis magna extruxerunt templa,
 arasq; & statuas posuerunt, & pro indole religionis summâ re-
 verentiâ profecuti sunt. Petierunt autem Athenæ Deos suos ri-
 tumq; eos colendi ab Ægyptiis, à quibus omnis Ethnicorū religio
 manavit. *Herod. lib. 2*. Ac primò quidem omnem movebant la-
 pidem, ne præter receptos jam Deos canonisatosq; Heroas alii
 vel novi, vel peregrini colerentur, quod οἰκείον ipsis erat atque
 proprium. Constat hoc ex Areopagitica Isocratis, ubi ait :
 Ἐκείνο μόνον ἐπύρεν ὅπως μηδὲν μήτε τῶν πατρίων κτελύσῃσι,
 μήτ' ἔξω τῶν νομιζομένων προσθήσῃσιν, i. e. illud tantum obser-
 vabant, ne à patribus acceptum quicquam vel abrogarent, vel ul-
 tra consveta quidquam adjicerent. Erat enim populus Athe-
 niensis ut *Pryceus in Not. ad Aët. cap. XVII pag. 173. & 174. It.*
Gyrald. Syntag. 1. Hist. Deor. fol. 23. docent, admodum supersti-
 tiosus, & quoscunque vel à remotissimis terrarum locis allatos
 Deos divinò prosequerentur honore, quare & ignoto Deo aram
 Athenis extructam legimus *Aët. Cap. XVII*. Nec impunè fere-
 bant hoc aliorum Deorum sectatores, αἰσιβείας enim damnati,
 ut plurimum capite luebant. Quapropter Socrates, ipsius Ora-
 culi effatò omnium ætatis suæ sapientissimus, impietatis & quòd
 novos Deos adoraret, ab Anytò & Melitò accusatus, tali judiciò
 damnatus est : Ἀδίκαι Σωκράτης, ἔς μὲν ἡ πόλις νομίζει Θεὸς, &
 νομίζων, ἔπειτα δὲ δαίμονια εἰσαγέμεν. Ἀδίκαι δὲ καὶ τὰς νεὸς
 λαφύσειων. Τήμημα θάνατος, i. e. Injustus est Socrates, non
 venerans Deos patrios; sed inducens alios novos: Injustus e-
 tiam est, corrumpens juvenes: igitur morte afficiatur. *Diog.*
Laërt. in Vita pag. 114. Idem etiam refert, quod Anaxagoram So-
 tion accusaverit, quod Solem, quem Deum credebant, laminam
 ardentem & penitus ignitum dixerit: *in Vita pag. 96.* Et de Pro-
 tagora

tagora recenset in vita pag. 664. quod etiam ille apud Areopagitas in jus raptus fuerit, quod inter alia docuerit: De Diis nihil certi affirmare possum, num sint nec ne? Tradidit quoque Stilponem ibi accusatum pag. 166. quod Minervam, Jovis filiam, non Deum, sed Deam appellavisset. Hic recensente Hesychio in vitis pag. 39. causam tractavit Theodorus Atheos, quod omnes antiquaverit de Diis opiniones. Huc quoque Apostolum Paulum pertractum ex *Act. Cap. XVII.* discimus, non ut Chrysostomus & Oecumenius volunt, & ex eis *Caspar Streson Comm. Pract. in Act. Cap. XVII.* ut aliquid novi discerent & audirent Athenienses; sed ut de noxio dogmate tanquam violator religionis publicè receptæ rationem redderet, pœnasq; lueret. Annunciavit enim ipsis JESUM & Resurrectionem mortuorum, quæ verba perperam interpretati sunt, intelligentes tam JESUM; quam Resurrectionem mortuorum; nova Dæmonia esse divino honore adoranda. *Selden. de Diis Syr. in Proleg. cap. 3. pag. 33. Johan. Ferus, Franciscanus Monachus, It. Salmeron, Bulling. Lorin. Com. ad Act. d. 1.* Quantoperè in Demadem & Evagoram exarserint Areopagitæ; in illum, quod Alexandrum Magnum decimum tertium Deum scribi jusisset: in hunc verò, quod ad illius, ceu Dei genua, se projecisset, exponit *Athen. lib. 6. fol. 251.* Et Sacerdotem quandam, quod peregrinos Deos affectaret, morte affecisse, ex *Zyving. in Tb. Vol. 17. lib. 5. fol. 3165.* compertum habemus. Igitur Aristoteles veritus, ne eadem sibi aliquando accusatio damnatioq; contingeret, Athenis discessit. *Ælian. lib. 3. cap. 36. & Athen. lib. 15. fol. 696.* Et Plato, etiamsi verum Deum agnosceret, (placebat enim illi quod in Ægypto de DEO Uno didicerat atque audierat,) metu tamen populi & ne in Areopagum traheretur, popularibus istis Diis, Junoni, Jovi, Apollini, aliisque sacrificavit, uti *Meurs. Tr. de Areop. cap. 9.* ex Justino Martyre profert. *Conf. Ravan. in Bibl. fol. 225. Orig. lib. 4. contra Celsum. Bez. Lorin. & Cornel. à Lap. in Not. ad Act. Cap. XVII.*

§. 8. Nemo tamen sibi persuadere debet, ac si nullos omnino peregrinos atque advenas Deos coluissent Athenienses. Coluisse enim utique, demonstrat *Gyrald. Syntag. 1. Histor. Deor. pag. 23. & Hesychius*, qui apertè asserit: *Ξενικοί Θεοὶ ὧν ἂν ἑταίροις*

ναίοις πμῦνται, i. e. Peregrini Dei in honore habentur ab Atho-
nienſibus. Verum nulli alii, niſi ἐπίθετοι, approbati & jure
quaſi civitatis ab Areopagitis donati, uti ex Svida in voce ἐπι-
θέτης ἐορτῆς patet, qui ibi videri poteſt. Propter hunc, quem
præ ſe ferebant Areopagitæ acerrimum in conſervandâ avitâ re-
ligione fervorem, & ipſi Taurum in arce Diis conſecrarunt. *Pauſ.*
lib. 1. fol. 28. ſacraſq; res, & quicquid ad religionem ſpectabat,
adminiſtrarunt. Conſtitutô enim à populo Apollinis Delphici
inſpectore Æſchine, hi Hyperidem elegerunt. *Plut. in Vita:*
Itemq; Sacrificulum Eumenidum, (quarum ſacra ipſorum curâ
peragebantur,) qui victimas maſtaret, ne qua in ſacrificiis fraus
committeretur. Imò plures unô numerant Autores, dicit enim
Demosthenes de ſe ipſo, quòd tertius lectus fuerit. *Demosth. in*
Mid. fol. 621. Legebantur autem non ſorte, ſed delectu, ne ut Ul-
pianus *Comm. in dictâ Midianeâ Demosthenis loquitur fol. 672.*
τῆς τύχης ἀλλὰ γνώμης Φανῆ τὸ ἔργον, fortunæ, ſed conſilii res
videretur. Inſtituerunt etiam ut feſtum Aparturiorum, quod
antea per tres tantum dies agitabatur, ipſos quinque dies Sena-
tûs curiæq; reliquæ celebrarent. *Conf. cap. IX. §. 1.*

§. 9. Deinde quoque vehementiſſimè in eos, qui Deo-
rum Religionisq; violatæ accuſabantur, animadvertentibus Areo-
pagitæ. Violari autem religionem, cultumq; divinum teme-
rari credebant Athenienſes, ſi mortui in Urbe ſepelirentur. Id
quod ex Servio Sulpitio manifeſtum fit, qui de M. Marcelli fu-
nere ad *Cicer. Epist. ad Famil. lib. 4. Epist. 12.* ſic ſcribit: Ab A-
thenienſibus, locum ſepulturæ intra Urbem ut darent, impetrare
non potui, quod religione ſe impediri dicerent: neque tamen
id antea cuiquam conceſſerant. Et Solon prohibuit, ne rede-
untes è bello, pro mortuis falſò habiti, ſacellum Eumenidum
intrarent, ne tristes illæ & ſeveræ Deæ funeſtarentur. Nec aliud
quicquam diebus feſtis, niſi τὰ ὡς τὴν ἐορτὴν, quæ ad feſti ſo-
lennitatem ſpectabant, peragere licebat. Ideò Eleuſiniorum
Myſteriorum diebus neminem apprehendere licitum, libellumq;
ſupplicem offerre. *Meurf. in Eleuf. cap. 31. pag. 91.* Et Deliorum
feſtivate nemo manum in maleficos injiciebat, ne ſcil. damna-
torum pœnis dies feſti polluerentur. Itaq; Socrates triginta
inte-

integros dies mortem expectavit, quod Deliorum festum intervenisset. *Petit. de Leg. Att. fol. 50.* Sacrarum quoque olearum, quarum duodecim in *Ἀγοπόμεναι* conservabantur. *Suid. in voce Μογίας. Aristoph. in Nub. & Schol. ad d. l.* excisione, violari credebant Athenienses, ea itaque ne quando fieret, maximè Areopagitarum erat providere, quod ex *Lys. Or.* quam Areopagiticam inscribit, colligere in promptu est.

§. 10. Maxima in idem *ἀσβεΐας* & Religionis violatæ pars censebatur Mysteriorum Cereris divulgatio. Hoc festum quale fuerit, vide sis apud *Ros. Antiq. Rom. lib. 2. cap. 11. & Dempst. in Paralip. pag. 328. & 329. Zwing. in Th. Vol. 1. lib. 2. fol. 155. Ludov. Vives in Not. ad August. de C. D. lib. 2. cap. 20. Gyrard. Syntag. 14. fol. 590. & 591. Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 19. pag. 364. Joston. de Fest. Græc. pag. 99. & 100. & Meurs. peculiari Tractatu de Eleusiniis.* Celebrabatur autem illud in honorem Cereris noctu accensis lampadibus per novem dies summò cum silentiò, perpetuâq; taciturnitate sacra illa mysteria celari oportebat, eò quod consiliis occultis usa esset Ceres, donec filiam Proserpinam reperiret: qui secus faciebat, ultimam pœnam incurrebat. Idcirco Æschylum Capitis causam dixisse apud Areopagitas *Clemens Alexandrinus lib. 2. Strom. Ælian. lib. 5. cap. 19. & Meurs. de Eleus. cap. 20. pag. 58.* prodiderunt, quòd nonnulla *τὰ πρὸς τῆς εὐρησίας μυστήρια* in scenam produxisset. Et Diagoras Melius, cognomine Atheus, cum in voluntarium exilium abiret, quòd mysteria narrasset omnibus, & prætereà extenuasset, & qui volebant iis initiari, à proposito avertisset, vivus si adduceretur, duobus Talentis: mortuus verò unò aestimatus est. *Suid. in voce Διαγόρας. It. Meursius Tr. de Eleus. l. c.* Nec divulgantes tantùm mysteria, *ἀσβεΐας* notam incurrebant; sed etiam recusantes illis sese initiari. Quare inrer cætera quæ Socrati objiciebant Anytus & Myletus, hoc quoque recensent Autores, quod contemneret Eleusinia. Idem etiam ab Amyto & Myleto Demonacti Philosopho contigisse *Lucianus in Demon. pag. 567.* ostendit. Sacris his præerat *Βασιλεύς*, secundus *Ἐννέα Ἀρχόντων*, *Jul. Poll. lib. 8. cap. 8.* qui uxorem civem atque virginem ducere tenebatur: quippe quæ sacris his Eleusiniis marito adstabat, & patriò ritu pro Republ. res di-

vinas administrabat. *Demosth. in Near. fol. 873.* Aliàs Novemviratu ejiciebatur. Quare Areopagitæ diligenter inqvirebant, essetne meretrix aut peregrina Regis Uxor ipso Eleusiniorum festo. Ita Theognidem Βασίλειαν Phanonem, filiam Neæras, peregrinam atqve meretricem quod duxisset, in ipsis Eleusiniis deprehenderunt Areopagitæ, quem etiam ut impium & ἀσεβείας damnatum multassent, nisi à Stephano se deceptum dixisset, perfolutâq; pecuniæ summâ veniam impetrasset. *Dem. in Neæ: fol. 874. Sig. de Rep. Athen. d. l.* Tandem & Sacrilegi Areopagitarum rigorem senserunt. Capitis enim damnaverunt propter commissum sacrilegium puerum quendam, quod laminam auream ex Dianæ coronâ delapsam, sustulisset. *Ælian. lib. 5. cap. 16.* Idem refert *lib. 5. cap. 17.* quod Areopagitæ neminem passi fuerint ilicem ex luco Herculi sacro excidere, quodqve Atarbem morte affecerint, quod passerem Æsculapio sacrum usque ad necem verberasset. *Conf. Zoving. in Teatro passim. Steph. de Jurisdic. lib. 2. cap. 8. It. Dilb. Diss. Areop. T. 2. pag. 309.* Et Cicero *lib. 1. de Div.* recenset de sacrilego quodam, qui pateram auream eximia magnitudinis ex Æde Herculis surripuerat, quod DEUS hominem, qui fecisset, in somnis ostenderit Sophocli: qui etsi semel id iterumq; neglexisset, denuò tamen admonitus adscendit in Areopagum, & rem omnem detulit. Areopagitæ comprehendi jubent eum, qui nominatus à Sophocle erat, is, quæstione adhibitâ, confessus est pateramq; retulit.

CAPUT VI.

Areopagitæ judicaverunt noctu, Et quidem in loco subdiali. Areopagitæ judicaturi in manus sumebant baculos. Areopagus rubro colore notatus, incisumq; supra ostium januæ Alpha. Areopagitæ non nunquam in regia porticu

ticu judicabant presente populo. Tempus
 quando judicabant Areopagite. Præco tem-
 pore judicii partes litigantes convocabat. Olim
 causarum patronos admittere non concessum.
 Areopagite coadjutores habebant Novemvi-
 ros. Rex Actiones in Areopagum introducebat.
 Ανάκρισις. Υπομοσία. γραφή. Αντιγραφή. Διωμοσία. Προμοσία.
 Αντωμοσία. Formula Juramenti Actoris & Rei.
 Negotii contentio seu λόγος sive ἔλεγχος. Ratio
 Verba faciendi in foro Areopagitico. Decem
 Patroni sorte electi in Areopago partibus liti-
 gantibus adstabant. Horum ætas triginta an-
 norum, Merces Patronorum. Perorabant
 ad Clepsydram in Cathedra. Omnes prorsus
 evitabantur affectus. Testes adesse oportebat,
 eosq; juratos. Areopagite testes & Rhetores
 non semper intuebantur. Ratio procedendi in
 parte homicidii consultò facti. Sol occasus su-
 prema tempestas.

§. i. Hactenus de duplici Areopagitarum munere, quod
 Solon humeris ipsorum inædificavit: jam in eò est, ut etiam
 quam processus judiciiq; consuetudinem observarint, dispicia-
 mus. Judicaverunt autem nocturnò tempore, ne misericordiã
 fortè commoti addicentes potius respicerent, quam ad ea, quæ

dicerentur. *Luc. in Hermot. pag. 266. Polyd. Ripa de Noct. Temp. cap. 91. num. 14. cap. 134. num. 21. Lancellus Conradus de Offic. Praetor. in Caus. Civ. V. Sent. num. 41. Zoving. in Th. Vol. 18. lib. 3. fol. 4312. Steph. de Jurisdic. lib. 2. cap. 8. Kekkerman. in Syst. Tom. 2. p. 1553. Donel. Enucl. lib. 28. cap. 5. Cus. de Noct. Off. cap. 13. Postell. de Magistr. Ath. cap. 4. Meurs. Tr. de Areop. cap. 6.* Et quidem in loco subdiali. Cur autem sub dio judicaverint Areopagitæ, explicat Antiphon in Orat. de Cæde Herodis, nimirum ne iudices cum illis in unum convenirent locum, qui manibus essent impuris: & ne qui de cæde accusaverunt, sub eodem tectō essent cum eō, qui cædem patrârat. Quando confidebant Areopagitæ ad jus dicendum, singuli in manus sumebant baculos, eō colore, quō ipsum tribunal notatos, quibus insuper eadem fuerat inscripta litera, quæ in obice januæ extabat. Rubrō autem colore notatum fuisse Areopagum, superq; ostium januæ Alpha incisum dubitanter asserunt *Meurs. de Areop. cap. 11. & Dilb. d. l. pag. 292.* Ordinariè conveniebant in Areopago, extra ordinem verò & propter loci incommoditatem, cum molestum esset ascendere, in regiâ porticu, præsentē totius populi coronâ. *Demost. Cont. Aristog. fol. 831. Sig. libr. 3. cap. 2. de Mag. Athen. Lorin. Comm. ad Acta. cap. 17. Meurs. de Areop. cap. 6. Post. de Mag. Ath. cap. 4. & 18.*

§. 2. Uti ex Julio Polluce *lib. 8. cap. 10.* apparet, tribus cujusq; mensis diebus, quarto scilicet: tertio & pridie Calendas convenerunt, ut judicarent, qui dies Græcis dicebantur: Τετάρτη Φθίνουσι, τρίτη Φθίνουσι, δευτέρα Φθίνουσι, i. e. Quarta, tertia, secunda decrescētis mensis. *Vide Kekkerman. Syst. d. l. Post. d. l. Bude. Comm. in Pand. fol. 94. Baron. ad Ann. 52. fol. 404* Postea etiam septimō die. *Luc. in Bis Accus. pag. 670.* Successu verò temporis singulis diebus. *Luc. Meurs. & Dilb. d. l.* Priusquam singulis diebus iudicium in Areopago exercebatur, præco populum solenni formulâ convocabat, ut in Areopagum venirent, quotquot actionem instituere vellent. Formula extat *apud Luc. d. l. pag. 670.* Ὅποσοι γραφὰς ἐπήνεγκαν, ἢ κεν εἰς Ἄρειον Πάγον, i. e. Quicunque actiones detulerunt, in Martium Pagum veniunto. Simul atque verò præstō erant instituturi
actio-

actionem, per præconem populus jubebatur aut facessera aut fi-
lere, ducto fune quinquaginta pedum longo, ut nimirum iudices
eò melius litigantes audire, & in pronunciandâ sententiâ à tur-
bamentis cunctis immunes esse possent. *Schol. Æsch. in Eumen.*
Jul. Poll. l. c. Demosth. cont. Aristog. fol. 831.

§. 3. Ab antiquissimis temporibus soli Areopagitæ judi-
cia exercebant, nec causarum patronos adhibere permissum erat,
quando pro suâ virili quisque sine ullis verborum pigmentis ver-
ba haberet. Sed uti multa immutata fuerunt; ita & hoc tan-
dem in desuetudinem venisse, vel ex eò apparet, quod concessum
fuerit postea causarum uti patronis, tandemq; Novemviros co-
adjutores habuerint. Apud Regem enim, secundum Novem-
virorum, actiones suas, quocumque venirent nomine, prius inten-
disse Actores; eumq; in Areopagum illas introduxisse, & depo-
sitâ coronâ cum eis iudicasse, nonnunquam etiam totius confes-
sus nomine pronunciasse, *Ubbo Emm. de Rep. Athen. pag. 20. 22.*
& 48. arbitratur. Idem quoque sentiunt Sigon. de Rep. Athen.
lib. 3. cap. 2. & Petrus Tholosanus Syntag. Juris lib. 47. cap. 26. fol.
716. Quamvis contrariam sibi habeant Julii Pollucis autorita-
tem, qui Φόντ tantum dixit, ut de eis cognoscerent Areopagitæ,
in Areopagum detulisse lib. 8. cap. 8. prodidit. Conf. Meurs. de
Areop. cap. 9. Petit. de Leg. Att. fol. 50. Kekerman. Tom. 2. Syst. p.
1552. Lorin. Com. in Act. cap. XVII. Delatio apud Regem rei nomi-
ne, quærebat ex Actore, num Actionem prosequi vellet, nec
ne? an omnia parata haberet ad subeundum iudicium? & an
Υπεφνη & testes in promptu essent? Deinde juramento se ob-
stringebat Actor, se nolle actionem deferere, omniaq; se prompta
parataq; habere. Quod si verò nondum satis cuncta parata es-
sent, æque juramentum præstabat Actor, se velle actionem pro-
sequi, sed se postulare ut sibi tempus detur. Hos actus Ανάγει-
ον & Υπομωσίον vocabant. Steph. de Jurisdic. libr. 2. cap. 13. &
Ulpian. in Midia. fol. 662. Quibus omnia ritè & secundum insti-
tuta patria peractis, tum demum Rex Areopagitis Actionem ex-
ponebat, ubi iudices sortitò dabantur, qui actionem examina-
rent, tot scilicet, quod secundum æstimationem litis requireban-
tur. Luc. in Bis Accus. pag. 670. Et si plures causæ essent, quam

una peroranda, æque sortitò legebantur, ut omnis evitaretur suspicio corruptionis. *Meurs. de Areop. cap. 7.* Inde causa agi cæpta: Actor γραφήν suam exponebat, quæ libellus erat, in quò scripta accusatio: reus verò per κλητήρας, qui annotante Svida in voce sunt οἱ καλῶντες εἰς τὸ δικαστήριον πάντας, in jus vocabatur. Præsentibus ambobus, Actore pariter ac Reo, Præco Actoris γραφήν recitabat. *Aristoph. in Vespis.* Lectâ Actoris γραφήν, Reus oppositò libellò, quem ἄντιγραφήν appellabant, omnia falsa esse assererat. *Svid. in Vocibus.*

§. 4. Post oblatam ἄντιγραφήν Διωμοσία seu contestatio locum habebat. den Krieg Rechtens bestätigen. Erat autem Διωμοσία idem quod penes nos juramentum calumniæ & malitiæ: uterque enim & Actor & Reus jurabat. Actor jurabat se non animo nocendi litem reo movisse: sed existimare se bonam causam habere: Reus verò jurabat se existimare se bonâ posse instantiâ uti ad reluctandum. *Lys. Orat. 9. pag. 126. Demosth. in Aristoc. fol. 736. Sigon. de Rep. Athen. lib. 3. cap. 2.* Actoris juramentum vocabant προμοσίαν: Rei ἀντιμοσίαν: utriusque verò Διωμοσίαν. *Poll. lib. 8. cap. 6.* Jurabant autem per tres Deos, Supplicem, Expiatorium & Depulsorium. *Id. l. 8. cap. 12. Conf. Gyrald. Syntag. 2. Hist. Deor. fol. 128.* Formulam juramenti Actoris & Rei, *Demosthenes in Aristoc. d. l.* exposuit, quando ait: In Areopago primùm jusjurandum dare cogitur Actor & Reus, & exitium, si calumniatur, tùm sibi, tùm genti, tùm familiæ suæ imprecari. Quod si verò quis pejerasset, non equidem puniebatur, sed relictus divino judicio exosus erat omnibus. *Demosth. d. l. Dinarch. contra Demosth. fol. 178. Conf. Sigon. de Republ. Athen. d. l.*

§. 5. Litis contestationem sive Διωμοσίαν excipiebat negotii contentio, λόγος nimirum sive ἔλεγχος, Jctis das Gerichtliche Verhören der Parthenen. Ubi Reus dextrum locum, ut honoratiorem, scabellū innocentiae dictum. Actor verò sinistrum seu minùs honorabilem, scabellū contumeliæ dictum, statim occupabat. *Lac. Græc. Flor. l. 2. fol. 93. Paus. in Att.* Idem inculcat Euripides in Iphigenia in Tauris. Quò significabant favorabiliores reos esse, quam Actores, judicesq; proniores esse debere ad absolvendum, quàm accusandum. *Diod. Tuld. jurispr. Extemp. part. II.*

pag.

pag. 28. Dicere autem vel ipsæ pro se poterant partes litigantes ;
 vel per Oratores suos & causarum patronos. Exemplo nobis
 sunt Paulus Apostolus, qui in Areopago ipse pro se locutus est.
Act. 17. & Demonax Philosophus, ab Anyto & Mileto ἀσβείας
 accusatus, verba pro se fecit. *Luc. in Demon. pag 567. & 568.* Hy-
 peride verò usa est Phryne, famosissimum illud scortum. *Atben.*
lib. 13. fol. 590. Et Anaxagoras per Periclem se defendit: Anti-
 phon verò pro Choreutæ morte peroravit in Areopago. Anti-
 qvitus decem fuerunt Oratores, suffragiis Judicium sorte electi.
 Svidas in voce Συνήγορ. Postea verò eorum numerus auge-
 batur. *Dilb. pag. 304.* Omnes qui in hunc ordinem admitti vole-
 bant, quadraginta, aut minimum triginta annorum esse oportebat.
Schol. Aristoph. ad Nubes. Idem etiam Lysias innuere vide-
 tur *Orat. 9. pag. 134.* asserens ibi, se à sumtâ virili togâ triginta
 apud Areopagitas in jus vocasse. Δοκιμασίω etiam vitæ suæ su-
 stinere tenebantur, ubi quærebatur: an parentes honorassent,
 eisq; vitæ subsidia ministrassent; an in bello arma abjecissent;
 an scortati essent; bonaq; patria dilapidassent? *Æsch. 9. Tim.*
fol. 264. Mercedis locò ex ærario ipsis Drachma dabatur. *Schol.*
Arist. in Vesp. Dilherrus verò locò citatò & Luc. in Bis Accus. triob-
 bolum ipsis assignant. Et quum plures patroni spartam ambi-
 rent, contenti erant obolo, ut Lysias, qui pro qualibet causa obo-
 lum se accepisse, ipse dicit *Orat. 23. pag. 384.* Sermone autem
 eòq; brevi & perspicuò, non scriptò oratores & patroni actiones
 in forò proponebant. *Steph. lib. 2. cap. 10.* ascendentes locum e-
 ditioem, ἔνμα dictum. *Svid. in voce.* Et ne liberi evagarentur, ad
 Clepsydram in foro positâ perorabant. *Demosth. in Near. fol. 864.*
it. in Steph. 1. fol. 975. & in Macast. fol. 1029. Reo duæ dabantur
 Clepsidrae: Actori verò una, quæ ubi effluxissent, finis impo-
 nebatur orationibus. Nonnunquam tamen Oratoribus aquæ
 additionem permittebant. *Conf. Steph. d. 1. Zving. in Th. Vol. 20.*
lib. 2. fol. 3655. Kekkerman. Syst. Tom. 2. pag. 1558. pluribus.

§. 6. Sive igitur per oratores sive non partes litigantes
 res suas tractarent, ab omni prorsus affectu abstinebant, nec
 exordiò utebantur ad captandam benevolentiam: nec Epilogo
 ad animos excitandos, ne iudicum animi à veritate aberrarent.
 Unde Proverbium: Ἄνευ παρομιίας καὶ παύων, i. e. absq; affecti-
 bus & Procæmio. *Erasm. in Cbiliad.* Et si quis præmeditatò exor-
 diò

diō orationem exorsus esset, affectusq; moveret, statim illi præco
 silentium imponebat, non permittens nugandi licentiam, ver-
 bisq; causæ involvendæ potestatem. *Ubbo Emm. de Rep. Ath. pag.*
22. Postell. de Mag. Athen. cap. 4. Stephan. de Jurisdic. l. 2. cap. 10.
Pollux. lib. 8. cap. 10. Baron. in Annal. ad Ann. Chr. 52. d. p. Meurs.
de Areop. cap. 7. Quintil. lib. 4. cap. 1. Apulej. de Asino Aureo lib. 10.
Lucian. in Anachass. pag. 742. Consule Gilbertum Cognatum ad jam
citatum Luciani locum pag. 777. & 778. Kekkerman. Tom. 2. Syst. p.
1553. Micral. Syntag. Histor. Polit. lib. 1. Sect. 3. pag. 86. Bodin. de
Republ. lib. 3. pag. 395. Alternis autem vicibus respondebant,
 primò Aëtor causam orabat: & dein Reus ad eam excipiebat.
Luc. in Anach. pag. 741. Præterea quoque in id summo studio in-
 vigilabant, ne causas ad Areopagum pertinentes in Prytanæum
 aut aliud iudiciū introducerent, aliàs dica fori incompetentis
 scribi poterat. *Lys. Or. 22. pag. 366. Nec aliena à scopò proferre*
 licitum. *Æsch. in Tim. fol. 265. Nec causam semel dijudicatam*
 iterum in jus vocare. *Demosth. in Phorm. fol. 962. Conf. Jul. Pollux*
lib. 8. cap. 6.

§. 7. Testes præterea adesse oportebat, qui adducti ad a-
 ram juramento se obstringebant, se scilicet vera, visa atqve au-
 dita relatueros esse. *Lys. Or. 3. pag. 45. Omnes autem in testimo-*
 nium vocati, illud perhibere cogebantur, aut mille Drachmas
 persolvere. *Pollux libr. 8. cap. 6. Testimonium perhibendum in-*
 scriptum erat tabulis ceratis, ne quis vel adderet quicquam, vel
 detraheret. *Demost. Or. 2. in Steph. fol. 975. & 983. Admissi ad te-*
 stimonium, si falsò testarentur, accusabantur apud Novemviros,
 ut de eis cognoscendis damnandisq; iudices darent. *Pollux libr. 8.*
cap. 9. οἱ θεσμοθέται δίκαι τὰς τῶν ψευδομαρτυριῶν ἐξ ἀρεῖς
πάγῃ εισάγουσι, i. e. Thesmothetæ seu Novemviri iudices dant
 convictis falsi dati in Areopago testimonii. Homines, quibus
 testimonii dicendi autoritas competebat, tantum erant Cives
 Athenienses; reliqui agebant per *μεγατάτην*: Nonnunquam ta-
 men servi in Minorum suorum causis testimonia perhibebant,
 sed torquebantur prius veritatis eruendæ causâ, non jurabant.
Lys. Or. 6. pag. 95. Demosth. Or. contra Pantenatum fol. 993. Ho-
 rum testimonium vocabatur *μεγάλησις*. *Poll. libr. 8. cap. 6. illo-*

rum

rum verò Μαετύρια. *Demost.* hinc inde. Confer Svidam in voce *ἀπίστοις*. Prorsus excludebantur à testimoniò perhibendò *ἄπιοι*, i. e. ignominiosi. *Ubb. Emm. de Rep. Ath.* 368. *Ξενικοὶ* seu peregrini. *Petit. Comm. in Leg. Att. fol. 350. seqq.* Et Partes litigantes. *Demost. Or. 2. in Steph.* 983 *Steph. de Jurisd. l. 2. c. 10.* Auditis testimoniis, quærebant ex Reo Areopagitæ, verane essent, quæ dicerent testes: si confiteretur, capite luebat: aut pro ratione delicti mitiori pœnâ afficiebatur: sin verò negaret, & in negatione persisteret, absolvebatur. *Lys. Or. 5. p. 63.* Non autem semper Areopagitæ testimonium testium & Rhetorum intuebantur orationes, alioquin multa scelera mansissent impunita, quùm etiam testibus deficientibus & non obstante Rei defensione, examinantes vitam ejus & mores juxta dictamen sanæ rationis ex conscientia & diligenti inquisitione judicium nonnunquam ferre soliti sint. *Ubb. Emm. de Rep. Ath. p. 374. Sigon. de Rep. Ath. l. 3. c. 2. Æschin. in Tim. Kekkerm. Syst. Tomo 2. pag. 1553.*

§. 8. Huc usque de communi procedendi ratione in forò Areopagiticò receptâ. Peculiarior ab hâc observabant Areopagitæ in causa homicidii consultò facti. Postquam Actor apud Regem dicam patrati homicidii scripserat, tres hic menses Actori concedebat, ut cum reo transfigeret, litemq; componeret, quâ compositâ judicium de novo non postulabatur. *Demost. in Pante. fol. 990* Præterlapsò illò tempore, nec lite tamen compositâ, Rex demum causam in Areopagum deferebat, Reumq; præsentib⁹ Areopagi judicibus interrogabat, *εἰ ἀποκτείνῃ*, an necasset. *Petit. Comm. in Leg. Att. fol. 507.* Hic, si metueret damnationem, post primum *λόγον*, fugâ se subducere, vitæq; suæ consulere poterat. *Poll. l. 8. c. 9.* Nec quicquam eum à fugâ revocabat. *Demosth. in Arist. fol. 736.* Multò enim sanctius esse arbitrabantur Athenienses nocentem fugâ sibi suæq; vitæ prospicere, quàm innocentem condemnare. Talem homicidam transfugam occidere idem erat, ac si quis civem Atheniensem occidisset, quare à foro, ludis & sacris Amphictyonicis abstinere oportebat eum, qui occiderat. Sed reversi ejusmodi transfugæ homicidæ, nihilominus apud Areopagitas rapiebantur in judicium. *Demosth. d. Or.* Homicidam qui persequebantur, occisi consanguinei erant & sobrini, non familiares. *Demost. advers. Macart. f. 1036. It. in Evergum f. 1062.* Juramento autem probabant se esse è consanguineis occisi. *Poll. l. 8. c. 10.* Nec homicidam tantùm persequebantur, sed etiam apud quem latebat, quæ actionem *Ἀνδροληψία* appellabant. *Poll. l. c. Svid. in voce. Steph. de Jurisd. l. 2. c. 9.* Antequam autem actionem in Areopagum introducebant Actores, victimas immolabant consecratis carnibus Apri,

G

Arie-

Arietis, & Tauri. *Demost. in Arist. d. l.* Reus homicidii post primum λό-
 γον comprehensus in vincula conjiciebatur, & per præconem interfecti
 parentes & consanguinei citabantur, ubi quærebant ex eis, velintne se-
 cundum leges pœnam statui, aut multâ secundum damni accepti ratio-
 nem reum affici. *Postell. de Mag. Ath. cap. 4.* & ex eo *Kekker. T. 2. Syst. p.*
1554. Duorum autem Talentorum auri pœnâ alicujus cædes redimebatur,
 eaq; ad occisi cognatos pertinebat. *Hæring. Locor. Memor. Dec. 1. cap. 8.*
 §. 18. Condemnati ad mortem Novemviri tradebantur, ut diligenti cu-
 stodiâ asservarentur, donec Undecemviri Capitales in eosdem animad-
 verterent. *Demosth. in Lept. fol. 564.* Quæ pœnæ irrogatio fiebat ante oc-
 casum Solis, ex Lege Attica: Ὁ ἥλιος ἐπὶ τῶν ὄρων ἐχάτη ὥρα ἔστω, i. e.
 Sol occasus suprema tempestas esto. *Gell. Noct. Att. libr. 17. cap. 2.* & *Thy-*
sius in Nor. ad h. l. Joseph. Scalig. de Emend. Temp. lib. 1. fol. 4. *Musonius ap-*
Stobæ: Serm. 1. Conf. Ubbo Emm. de Rep. Ath. p. 50. *Zwing. in Not. ad Polit.*
Arist. l. 6, c. 8. f. 502. It. Joach. Stepb. de Jurisd. l. 2. c. 3.

CAPUT VII.

Sacrificuli Eumenidum pro felici successu victi-
mas mactabant. Areopagite ψίφες ab ara sumebant.
Judicabant absque προσωποληψία, jurabant ad aram,
judicabant tacentes. Ratio sententiam ferendi expo-
nitur. Factis paribus calculis Reus absoluebatur,
imparibus verò vel absoluebatur vel damnabatur.
Absoluti Plutoni, Mercurio, & Telluri sacrificabant.
juxta leges pœnæ irrogabantur. Socrates cum præ-
miò se dignum existimaret, capitis damnatus. Areo-
pagitarum merces.

§. 1. Sequitur ratio sententiam ferendi, quàm κρίσις seu judicium
Jul. Poll. lib. 8. cap. 5. appellat, cui in nostris foris respondet: Das Ge-
 richtliche Verabscheiden der streitenden Partheyen. Hæc autem prope-
 modum

modum ratione κρείων suam instituebant Areopagitæ. Antequam considerent, ut sententiam ferrent, tres sacrificuli Eumenidum profelici successu, atque ut illa, quæ laterent, manifestarent, victimas mactabant. *Demosth. in Mid. fol. 621.* Quum de sacris ferenda essent suffragia, Ψήφοι suas ab ara desumebant, quod in aliis judiciis usitatum non fuisse ex *Demosth. Orat. de Cor. fol. 495.* probare satagit *Celeber. Meurs. Tr. de Areop. cap. 9.* Sed in omnibus promiscuè judiciis hoc observasse Areopagitas evincunt *Kekkerman. Syst. Tom. 2. pag. 1553. & Thys. in Not. ad Gell. lib. 12. cap. 7. aliq.* Idem etiam inculcare videtur *Ulpian. in Not. ad Dem. Or. de Cor. fol. 537.* Dein jurabant ad aram se velle citra præsumtionem *σωποληψίας* juxta leges, quæ in Areopago in columna incisæ servabantur, sententiam ferre. *Lys. Orat. 13. pag. 139. Demosth. Orat. Mid. fol. 609. it. 633. & Meursius l. c.* Quando verò de causâ controversâ nullæ extarent leges, jurabant se velle ex conscientia sententiam pronunciare. *Demosth. in Lept. fol. 558. it. in Baotum fol. 1007.* Hisce finitis rem ipsam aggrediebantur, & expensis probè rationibus reum tacentes vel absolvebant vel damnabant occulta suffragia ferendo. *Macrob. Sat. lib. 7. cap. 1.* Rationem exponit *Demosthenes de falsa legat. fol. 330.* nimirum ut nemo sciret, quis esset alicui gratificatus: sed Dii immortales scirent eum, qui iniqua pronunciasset.

§. 2. Antiquissimis temporibus suffragia fiebant scriptis in tabulam sententiis, eisq; in urnam conjectis. *Zwing. in Not. ad Polit. Aristotel. lib. 2. cap. 8.* quare *tabellaris sententia* dicitur. *Buda. in Pandect. fol. 95.* In sequenti autem tempore calculis in urnam immisis, hōc modō: Præco duas urnas, unam *Ἐλέγ*, id est, Misericordiæ: *Θανάτῃ*, id est, mortis alteram afferebat. *Schol. Aristoph. in Vesp.* Urna Misericordiæ à tergo ponebatur: urna Mortis verò in fronte. *Id. d. l.* Hæc lignea erat: illa verò ænea. *Q. Sept. Florens Christianus in Not. ad Aristoph. in Vesp. Conf. Veter. Schol. d. l. It. Poll. lib. 8. cap. 10.* Dein hortabatur præco iudices, ut calculos suos immitterent singuli. *Æsch. in Tim. fol. 272.* quos tribus digitis sumebant Pollice, Indice & Medio, *Veter. Schol. in Aristoph. Vesp.* Confecti erant calculi non ex ossibus porcinis, uti *Ulpianus in Timoc.* opinatur; sed modò ex Orichalco, *Pol. d. l.* modò ex Conchis marinis. *Schol. Aristoph. in Vesp. & Dilh. Tom. 2. Dis. Areop. pag. 305.* Calculi, quibus absolvebantur, *κύρια* Ψήφοι appellabantur, non perforati candidiq;: quibus verò damnabant, *ἀκύρια* vel *ἀποδοκιμάζουσαι* Ψήφοι, perforati, nigriq;. *Æsch. in Tim. d. l. Schol. Arist. d. l. Suidas Ψήφος. Ovid. Metam. lib. 15. Fab. 1. Conf.*

Dempster. in Paralip. ad Ros. lib. 4. cap. 9. pag. 610. Meursius Tr. de Areop. cap. 8. Kekkerman. l. c. Thys. in Not. ad Valer. Maxim. d. l. Johann. Baptista Pius Annot. Poster. cap. 91. Lazius Flor. Græc. lib. 2. fol. 93. Apulej. de Asin. Aur. lib. 10. Sed immutatum hoc regnantibus Athenis triginta Tyrannis: illi enim, ut Areopagitarum autoritatem tollerent, eosque in suâ potestate haberent, jusserunt non tabellari sententiâ: aut calculis in urnam missis suffragia ferre: sed novô modô positis nimirum in mensas calculis. *Lys. Orat. contra Agorat.* Mensa autem absolvens prior erat, posterior damnans. *Meursius d. l.* Singulis urnis operculum imponebatur, in quô foramen unius calculi magnitudinem non excedens, ne duos fortasse calculos quis immitteret, atque ita fraus quædam fieret, iudiciumque corrumpere. Ideo etiam & partes litigantes aderant & præco & Thesmotheta quidam, ut specularentur, quomodo Areopagitæ calculos suos darent. *Schol. Aristoph. in Vesp. It. Q. Sept. Flor. Christ. d. l.* Postquam calculos suos miserant iudices, præco eos in aliâ urnâ, quæ ænea, dinumerabat; conchas verò in lapide *Id. d. l.* Hic si deprehenderet damnantes excedere absolventes, longam lineam in tabulâ, cera obductâ, exarabat; quam damnatoriam vocabant: sin verò absolventes excederent damnantes, brevem ducebat lineam, quæ absolutoria nuncupabatur. *Meursius & Dilberrus d. l.* prolixè. Hâc ratione absolvebant reos & damnabant reos imparibus calculis: sin autem fortassis eveniret, ut pares calculi jacti essent & absolutorii & damnatorii, rei omninò absolvebantur. *Schol. Aristoph. in Vesp. Philip. Beroald. & Godescali Stevvich. Com. in Apulej. lib. X. de Asin. Aur. Lorin. Comm. in Act. Cap. XVII.* Inter pares enim sententias benignior severiori præfertur. Et certè humanæ rationis est, inquit *Diod. Tuld. Jurisprud. Extemp. part. 2. cap. 10.* favere misericordiæ; & prope innocentes dicere, quos absolutè nocentes pronunciare non possumus. *Conf. Cap. 29.* Experti hoc sunt Mars, capitis in Areopago accusatus, qui sex iudicum sententiis absolutus, totidem etiam condemnatus, capitis periculum evasit. *Plinius Histor. Nat. cap. 7.* Et Orestes, propter cædem matris in Areopago reus factus, paribus calculis absolutus est. *Eurip. in Iphig. in Tauris, & in Electra.* Quocunque autem modô liberati essent rei, ad reddendam grati animi significationem Plutoni, Mercurio & Telluri sacra faciebant. *Paus. in Att.* Eumenidibus verò nigram ovem immolabant, quod Orestem fuisse autor est *Svidas in voce Eὐμενίδες.*

§. 3. Quamquam nulla reo poena irrogabatur, quæ legibus non definita esset, quare Actor quoque observabat, num etiam poenæ exasperarentur, atque an Areopagitæ secundum leges rite pronunciarent. *Demosth. in Arist. fol. 736.* Nonnunquam tamen contigit, ut rei convicti capitalis facinoris equeidem condemnarentur, sed nullò expressò supplicio; dein verò interrogarentur, quid se meritos putarent? illi autem ut eò miserabiliores apparerent, quòd plus meruisse, quam in ipsos statueretur, dicerent: quò factum ut mollitis interdum iudicibus caput salvum abstulerint. Quod quia neglectum à Socrate fuerat, qui se non poenâ, sed præmiò dignum dictitabat, atque adeò ut in Prytanæo publicè aleretur: exacerbati iudices ob tam contumax responsum, virum innocentissimum capitis condemnarunt. Ita enim *Cicero lib. 1. de Orat.* de eò scribit: Quòd cum interrogatus esset Socrates, respondit, se meruisse ut amplissimis honoribus & præmiis decoraretur, & ut victus quotidianus in Prytanæo publicè præberetur; qui honor apud Græcos *maximè habetur.* Cujus responsò sic exarserunt iudices, ut capitis hominem innocentissimum condemnarent. *Conf. Plat. in Critone. Xenophont. in Apolog. Socr. Diogen. Laërt. in vita Socr. it. Petr. Nannium Miscell. lib. 2. Cap. 22.*

§. 4. Post absolutum iudicium mercedem quoque accipiebant Areopagitæ. Primum carnem ipsis dabant. *Hesych. ap. Dilherrum Tom. 2. Diff. Areop. pag. 306.* Postea verò pecuniam constituebant. *Luc. in Bis Accus. pag. 673.* Erat autem merces ordinaria, ut in aliis iudiciis, triobolus. *Luc. pag. 670.* Sin verò non absolutò iudicio illud in crastinum differebatur, unicus sufficiebat obolus. *Id. d. l. pag. 688.* Quod si duas fortassis causas iudicarent, duplicem accipiebant mercedem pro utraque lite. *Id. d. l. p. 698.* Quamvis *Schol. Aristoph. in Vesp.* neget quicquam certi constitum fuisse iudicia dantibus.

CAPUT VIII.

Ἰπομνηματισμοὶ seu *Senatus Consulta Areopagitarum*. Constituerunt Areopagitæ ut Aparturiorum festum quinq̄ue dies ageretur. Exponitur quæle festum fuerit. Casauboni & Petiti dissensio circa hoc festum. Areopagus Βελλή καὶ ἰξοχὴν audit apud Autores. Olim non iudicabant noctu. Constituerunt ut artem meretriciam omnes exercerent, atque ut Cratippus Athenis maneret iuuentutemq̄, nisi vis esset.

§. 1. Ultimum occupant locum Areopagitarum *Senatus Consulta*, Græco nomine Ἰπομνηματισμοὶ dicta. *Cicer. lib. 5. Epist. ad Att. Ep. 11.* Numerantur autem quatuor potissimum *Senatus Consulta*, quæ Areopagitarum Βελλή condidit. Primum *Senatus Consultum Aparturiorum* festum attinebat. Instituebant enim illi, ut festum Aparturiorum, quod in honorem Jovis, Minervæ & Bacchi per tres tantum dies celebrabatur, per quinque dies *Senatus Curia*q̄; reliquæ agerent. *Athen. lib. 4. fol. 171.* Festum hoc, quâ solennitate profecuti sint, exponunt *Dalechamp. in Not. ad dictum Athenæi locum. Casaub. Exercitat. in Athen. lib. 4. cap. 21. fol. 305. Nat. Com. Mythol. libr. 5. pag. 499. Jonston. de Fest. Græc. cap. 6. pag. 64. Meursius Græc. Fer. libr. 1. pag. 33.* Circa hoc *senatus consultum* digladiantur eruditissimi viri, *Petit. Comm. in Leg. Att. fol. 194. & Casaubon. Exercitat. in Athen. l. cit.* à quonam potissimum *senatu*, *Quingentorum* aut *Areopagitarum*, constitutum fuerit. *Petitus* pro *Quingentorum* *senatu* pugnat: *Casaubonus* pro *Areopagitico*, *Rationes* hic nullas producit: ille

ille verò unicam, quòd nimirum per τὸ ἡ βελλή apud Autores καὶ ἐξοχήν semper Senatus Quingentorum intelligatur. Sed vix credibile est SConsultum hoc in Quingentorum curia datum fuisse, cùm religio cultusq; divinus ad solos Areopagitas spectaverit, atqve ne ille immutaretur, aut detrimenti quicquam caperet, soli isti rationem habuerint. Nimis quoque generalis est Petiti ratio. In dubio enim adhuc versatur, num semper & ubique ἡ βελλή Senatum Quingentorum significet; cùm contrarium posset ostendi ex *Isocr. Orat. Areop.* ubi τὴν βελλήν, sine additamento pro senatu Areopagitico posuit. Idem etiam fecit, *Luc. in Anach. pag. 742.* ἂν εἶν ληρεῖν πρὸς τὴν βελλήν, id est, non permittens ad senatum scilicet Areopagiticum nugandi licentiam.

§. 2. Secundum Areopagitarum SConsultum processum Areopagiticum ordinabat. Diximus supra Capite sexto §. 1. Areopagitas nocturno tempore judicasse, ne affectu magis quàm judiciò rationeq; ducti innocentem condemnarunt & nocentem absolverent; Partesq; litigantes vel per se, vel per oratores ἀνευ προνομίας καὶ παύων simplici stylo atqve filo, quæ cogitabant, proposuisse, ne speciosâ oratione animi iudicium fascinati à verò se abduci paterentur. Hoc apud veteres Scriptores se nunquam legisse, scribit *Wolff. in Not. ad Isoc. fol. 475.* sed tantum apud recentiores. Quùm autem aliquando Phrynes, elegantissimum illud & famosissimum sui temporis scortum, apud Areopagitas capitis accusaretur, & Hyperides, ipsius patronus, ex presentissimò mortis periculò eam eripere non posset, produxit ille Phrynem in medium, & pectus ejus papillasq; nudavit: quarum pulchritudine capti iudices Phrynem omnium antea sententiis damnatam, absolverunt. Ne igitur Areopagitæ προσωποληψίας amplius & malè administratæ justitiæ notam sibi inurerent, tantiq; Tribunalis autoritas evilesceret, SConsultò decretum est in Areopago populi suffragiis, ut Areopagitæ noctu judicarent. *Arbenæus libro 13. fol. 590. Muretus Vol. 1. Or. 18.*

§. 3. Tertium Senatus Consultum jubet medicinam artemq; obstetriciam omnes viros pariter atq; mulieres addiscere. Totam rem recenset *Hyginus Fab. 274. f. 63.* Cujus verba ita sese habent: Antiqui obstetrices non habuerunt, unde parturientes
fœmi-

Qd
Tc
119

foeminae impeditae verecundia, quo minus sibi a viris opem ferri
sinerent, inter medios quandoque labores ac nisus defecerunt at-
que exspirarunt. Nam Athenienses caverant, ne quis servus
aut foemina artem medicam disceret. Agnodice quaedam puel-
la virgo cupiit medicinam discere, eaque sine dentis capillis as-
sumtoque virili habitu se Hierophilo cuidam tradidit in discipli-
nam: cum vero jam artem didicisset & foeminam audisset ab in-
feriore parte laborantem, adibat eandem, cumque illa committere
se fidei ipsius nollet, existimans virum esse, illa tunicam sublatam o-
stendebat se foeminam, & ita medicinam faciebat. Quod cum in-
telligerent Medici, Agnodicen accusare coeperunt, dicendo eam
glabram esse cotruptricem foeminarum, quae simularet imbecil-
litatem. Areopagitae cum confedissent, Agnodicen damnare
coeperunt. Quae res cum manasset in vulgus, principes foemina-
rum agmine quasi facto convenerunt dixeruntque: Vos conjuges
non estis, sed hostes, quia quae salutem nobis invenit, eam damna-
tis. Tunc Athenienses legem emendarunt, ut ingenuae mulie-
res arte medicam imbui se paterentur.


§. 4. Ultimum decretum exponit Plutarchus in Cice-
rone & ad Cratippum pertinebat. Cum enim honore maclare
vellent Athenienses Cratippum impetraverunt a Caesare, rerum
jam positam, Civitatem Romanam, perfeceruntque ut Athenis is
permaneret & juventutem institueret.

Haec ferè sunt, quae de Areopago atque inde dictis Areopa-
gitis in monumentis Autorum invenire passim licuit atque no-
tare. Ac quemadmodum ea in magna varietate posita sunt: ita dif-
ficile fuit aliis praesertim nunc, & quae ab his multum distant
negotiis, impedito, delectu ubique & accuratam disquisitione uti:
quin potius è medio arripimus, quae sponte sese offerebant. Il-
la nos spes tenet, fore ut TE, B. L. benignum hic nobis ideò ac
facilem praebes, quum inter sacras illas curas, quibus nobis in
praesenti vacandum, non potuerimus tam exquisita dare, quae per
omnia Tibi se probent: quando praeterea ea nostra conditio est,
ut nusquam non labamur. Quod denique restat, gratias agimus
immortales Divino Numini pro auxilio clementer praestito.

Ipsi sit laus, honor & gloria in sempiterna
secula.

FINIS.

1077



B.I.G.

Farbkarte #13

X1860/137

II 2
1092

AREOPAGUS,

id est,

Vetustissimum A-

thenarum & totius Græciæ
tribunal,

EX ULTIMA ANTIQVITATE


erutum

STUDIÔ & OPERA

M. JOHANNIS SCHEDII,

TORGENSIS,

V. D. Ministri in Stariz.



WITTENBERGÆ,

Typis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.

ANNO M. DC. LXXVII.

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

